This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IndL 3351.3

Harvard College Library

GIFT OF

FITZEDWARD HALL

MARLESFORD, SUFFOLK, ENGLAND

(H. C. 1846)

Received May 3, 1899

Digitized by Google

RAMAYANA

ID EST

CARMEN EPICUM

DE RAMAE REBUS GESTIS

POETAE ANTIQUISSIMI

VALMICIS

OPUS.

TEXTUM CODD. MSS. COLLATIS RECENSUIT

INTERPRETATIONEM LATINAM ET ANNOTATIONES CRITICAS

ADIECIT

AUGUSTUS GUILELMUS A SCHLEGEL,

DR., PROF. P. O., EQUES ORD. AQUILAE RUBRAE CL. III. CUM LEMNISCO, COMMENDATOR ORD. GUELPH., EQUES ORDD. SCTI VALADIM. ET VASAE LEGIONISQUE HONOR., SOC. O. ACAD. SCIENTT. BORUSS., SOC. HONOR. ACAD. PETROPOL. MONAC. ET BEROL. ARTIUM ELEG. SOCIET. SCIENTT. GOTTING., SOCIETT. ASIAT. CALCUTT. PARIS. LONDIN. SOCIETT. BOMBAIENS. ET BRITANN. LITT. HAFNIENS. ANTIQUIT. SEPTENTR. INDAGANDIS.

VOLUMINIS PRIMI PARS ALTERA.

BONNAE AD RHENUM

TYPIS REGIIS

SUMTIBUS EDITORIS.

MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

(1, pt. 2)

Harvard College Library
May 3, 1899
Gift of
FITZEDWARD HALL,
of London.

Digitized by Google

RAMEIDOS

VALMICEIAE

LIBER PRIMUS.

SERMONE LATINO EXPRESSIT

A. G. A SCHLEGEL.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIA

IN LAUDEM POETAE 1).

Vâlmîcem luscinium 2) veneror, dulcem, dulcisonum, qui in poësis ramum evectus, Râmae nomen usque cantu modulatur.

*

Quis non salutis summae viam ingreditur, audiens ex ore Vâlmîcis, anachoretarum principis 3), sonum narrationis de Râma?

*

---

1) Magnopere variant codices in hisce procemiis: plerumque multo plura praemittunt, quibus non poëta solum celebratur, sed ii quoque, qui in eius carmine partes primarias agunt. Non ab ipso Rameïdos auctore, si modo unus is fuit, ea esse profecta, per se patet. In nonnullis dictionis color et metri ratio foetum serioris aevi arguit; exempli gratia distichon, quod in editione Srîrâmapurensi tertio loco apponitur, desumptum est e prologo fabulae scenicae de Râmae rebus gestis, quae *Arghya-Râghava* inscribitur. Equidem eas tantummodo sententias servandas esse censui, quae venustate et simplicitate sese commendarent, et in proverbium abiisse viderentur.

2) Luscinium posui et ubique ponam pro *cocilo*, i. e. cuculo nigro, ave in nostris terris ignota, quae a poëtis Indicis eodem modo, quo a nostratibus luscinia, propter cantus miram dulcedinem prae ceteris avibus celebratur. Attamen *cocilus* mas solus est canorus; femina vocem eandem identidem profert, quam cuculus vulgaris, unde et nomen in utraque lingua.

3) Vâlmîces vitam solitariam in silvis degisse traditur, idem et *Munis* et *Rishis* appellatur. Prius vocabulum anachoretam sive eremitam proprie designat, unde *maunam*, silentium, taciturnitas; alterum ad sapientiam praecipue spectat. Quae utraque arcte inter se cohaerentia et passim promiscue usurpata per *vatis* appellationem Latine

Digitized by Google

Scaturiens e monte Vâlmîcis, in Râmae oceanum sese effundens, sanctum Râmeïdos flumen lustrat orbem universum 4).

*

Veneror vatem illum, Prachêtasis filium 5), integrum vitae, qui non satiatur semper bibendo Râmae gestorum oceanum nectareum.

*

Salve, Anachoretarum praeses, alme, pie, omni scientia imbute! Salve, Vâlmîce, iterumque salve!

---

reddere licet. A priscis enim Romanis vates dicebantur, qui de rebus divinis fatisque futuris oracula edebant; sero demum translatum est vocabulum ad poëtas, quia nimirum proprio artis poëticae nomine lingua Latina carebat. Vâlmîces tum poëta fuit, tum vates, quippe qui potius divinandi facultate quam cognitione aliunde petita Râmae res gestas vere cecinisse perhibeatur. — Quae de vilissima Vâlmîcis conditione, et vita flagitiosa narrantur, (POLIER. MYTHOL. IND. I, p. 178 sqq.) manifesto recentiorum sunt figmenta, eiusdem farinae vel peioris etiam quam vita ista Homeri Pseudo-Herodotea. Nobis ipsius carminis potissima sit auctoritas, in cuius libro septimo poëta denuo in scenam prodit. Exordium et finis Râmeïdos ultimo loco quidem sunt adiecta, attamen satis antiqua.

4) Subest comparatio cum Gange, cui talem virtutem vulgo tribuunt.

5) De patre Vâlmîcis nihil memoratum repperi, nisi virum sanctum fuisse. Nomen commune ei est cum Varuno, Indorum Neptuno. Numeratur porro alius *Prachêtas* inter decem Progenitores deorum hominumque. MAN. I, 35. Ceterum videri possit nomen hoc patri Vâlmîcis inditum allegoriae gratia. Nam si etymon spectamus, plane est ac si poëta Promethei filius diceretur.

Digitized by Google

CAPUT I.

ARGUMENTUM CARMINIS NARADAE SERMONE DECLARATUM [1]).

Pius Vâlmîces, eremitarum princeps, percunctatus est 1.
facundia insignem Nâradam, castimoniis et tacita librorum
sacrorum meditatione gaudentem: Quis, cedo, nostra ac- 2.
tate in hoc orbe virtutibus est praeditus? quis fortis,
iustus, beneficiorum memor, veridicus, abstinentiae tenax?
Quis moribus sanctis assuetus, quis erga omnes animan- 3.
tes benignus? quis prudens? quis munificus? quis unice
amabilis? Quis rationis compos, iracundiae repressor, 4.
constans? quis ab omni obtrectatione alienus? Cuiusnam
iram in proelio concitatam vel DI contremiscunt? Quis 5.
generosus, par vel triplici mundo tuendo? quis civium
incrementis laetus? quis thesaurus virtutum felicitatum-
que? Quemnam virum prae ceteris unum formosa Lax- 6.
mis [2]) indefessa comitatur? quis Aëri, Igni, Soli, Luno,
Indrae et Vîshnui est aequiparandus? Id ipsum equidem 7.
audire cupio; vehementi sane studio flagro: tibi, o Sa-

---

1) Colloquium hoc habitum esse fingitur Râma adhuc superstite, sexdecim fere annis postquam is ab erroribus redux regnum paternum recuperaverat.

2) Est ea Vishnûs uxor, tum diva Fortuna, tum summae venustatis imago.

Digitized by Google

piens coelicola 3)! adest facultas talem virum cognoscendi.
8. Nâradas, ternorum temporum gnarus 4), sermone isto
Vâlmîcis audito, compellans eum hac voce: Ausculta!
9. alacer deinde effatus est: Magnae sunt et arduae virtutes,
quas tu praedicasti, o Anachoreta! Meditatus proloquar:
10. audiatur, qui vir hisce sit praeditus. Is e stirpe Ixvâ-
cûs 5) genitus Râmae nomine per gentes celebratur: tem-
perans, fortis, splendidus, librorum sacrorum peritus,
11. morigerus, sollers, prudens, facundus, fortunatus, ho-
stium interfector; latis humeris, validis lacertis, cervice
12. in conchae speciem tribus lineis notata 6), magnis maxil-

---

3) Sanscrite *Dévarshis*. *Rishis* est appellatio generalis sapientum, cui aliud vocabulum saepe praemittitur ad diversas species distinguendas. Habent et Indi septem sapientes suos antiquissimos, quibus stellae Ursae maioris tribuuntur. *Brahmarshis* est sapiens theologus; *Râjarshis*, rex sapiens; *Dévarshis*, sapiens deorum sodalis. Ex horum numero est Nâradas, qui tamen terram invisere solet, multarum rerum particeps, et fabularum diversarum actor primarius. Cf. Episodium de NALO, *Cap.* II, 13 sqq.

4) Ὅς ῥ᾽ ἤδη τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα, πρό τ᾽ ἐόντα.

5) Ixvâcus fuit Manûs legumlatoris filius, antiquissimus Côsalorum rex et regiae stirpis auctor. De quo cf. L. I, Cap. LXX, 20. 21.

6) Arti physiognomicae valde addictos fuisse apparet veteres Indos, ita ut non solum ex universo vultus et corporis habitu in hominibus et animalibus indolem moresque cognosci posse putarent, sed minuta quoque lineamenta attenderent. Cui opinioni aliqua naturae observatio subesse poterat; alia ad superstitionem declinabant: qualis est nota in hoc versu memorata, ex illarum genere, in quibus chiromantia versatur. Cf. AM. Co. p. 152. et COLEBR. annot. Trahebant quoque ad fata hominum eiusmodi signa. Cf. infra Sl. 13. In Episodio de NALO,

Digitized by Google

lis, amplo pectore, ingentem arcum gerens, collo toroso,
hostium domitor; brachiis ad genua porrectis 7); capite,
fronte, incessu decorus; quadratus, membris bene dispo- 13.
sitis, suavi colore, maiestatis plenus, turgidis papillis,
magnis oculis, faustus, notis bene auspicatis insignis; 14.
iustus, stans promissis, iram et sensuum impetum coër-
cens, sapiens, disciplina instructus, probus, fortitudine
praeditus; vindex generis humani, ab omni parte iusti- 15.
tiae vindex; tum librorum sacrorum cum eorundem sub-
sidiis gnarus, tum in arte sagittandi consummatus; omni 16.
doctrina penitus imbutus, iuris peritus, splendidus, erga
cunctos benignus, honestus, generosi spiritus, sollers;
quem semper sectantur boni sicut fluvii Oceanum; Râmas, 17.
omnibus virtutibus praeditus, Causaliae matri laetitiae au-
ctor; profunditate Oceani instar, firmitudine montis Hima- 18.
vantis; Vishnum vigore aequans, sicuti luna gratus ad-
spectu; quando irascitur, fatali orbis conflagrationi simi- 19.
lis, patientia Telluri par; Cuvêrum, opum datorem, ae-
quans liberalitate, fide quasi alterum Iustitiae numen.
Hunc Râmam, talibus virtutibus ornatum, fide insignem, 20.
carum filium, natu maximum, et virtute praecellentem
rex Dasarathas amore motus cooptare in imperium cupic- 21.
bat 8). Tunc, apparatu ad hunc consecrandum viso,

Cap. XIX, 14 sqq. equorum nobilitas verticibus pilorum diiudicatur, fortasse haud iniuria, nam et Arabum eadem fuit opinio. Quem locum perperam interpretatus est Boppius.

7) Brachia brevia apud Indos deformia et ignobilia habita sunt; longa contra heroïci vigoris argumentum. Non mirarer, si Persae, idem statuentes, cognomine Artaxerxis prioris, μακρόχειρ, male a Graecis intellecto, simile quid significassent.

8) Non moramur nunc in explicandis iis, quae Nâradas rap-

Digitized by Google

22. illius uxor Caeceïs, cui rex olim fidem obstrinxerat de
beneficiis concedendis, haec duo munera ab eo petiit:
23. exilium Râmae et Bharatae consecrationem. Rex Dasara-
thas igitur officii vinculo coërcitus, ut promissis staret,
24. carum filium Râmam in exilium egit. Abiit ergo in sil-
vam heros, fidem exsoluturus, ut patris iussa perficeret
25. et Caeceïdi gratificaretur. Migrantem hunc comitatus est
carus frater Laxmanus, amoris impulsu, modestia insignis,
26. animum vere fraternum palam faciens. Dilecta Râmae con-
iux, semper intima vitae socia, e stirpe Janaci prognata,
forma quasi divinum aliquod miraculum, omnibus notis
27. faustis insignita, feminarum optima, Sîta quoque comitata
est Râmam, sicuti Lunum uxor Rôhinis 9). Quum cives
28. et pater Dasarathas per aliquantum spatium eum prose-
cuti essent, in urbe Sringavêro ad Gangis ripam aurigam
29. dimisit; cum Guho, Nishâdorum principe, congressus,
pius ille deinde Gangem transvectus, regionem silvestrem
30. intravit. Hi per silvas continuas progressi, fluviis aqua
abundantibus traiectis, secundum Bharadvâji praeceptum
31. ad montem Chitracûtum accesserunt: ubi Râmas, Laxmani
ope casa amoena aedificata, habitavit cum Sîta, veste e
32. libro contexta et nebride cinctus. Horum trium illustrium
praesentia Chitracûtus iste splendebat, sicuti mons Mêrus,
33. Laxmide, Cuvêro et Siva in eo residentibus. Râma ad

---

tim et interdum subobscure attingit, quandoquidem singula ipso carminis tenore amplissime declarabuntur.

9) Numen, quod lunae praesidet, apud Indos est masculum. Uxor eius Rôhinis quartam sedem inter domos lunares occupat, cui quinque stellae in sidere Tauri tribuuntur. Astronomica huius comparationis ratio mihi non liquet, siquidem luna in orbe suo menstruo non ultra dici spatium apud singulas domos moratur.

Digitized by Google

Chitracûtum profecto, rex Dasarathas, filii desiderio aeger, ad sedes coelestes transiit, natum deplorans. Quo 34.
defuncto, fortissimus Bharatas, quanquam viri bis nati 10)
Vasishtha duce ad regnum capessendum eum exhortabantur, istud capessere noluit. Profectus est in silvam he- 35.
ros, ut ad Râmae pedes supplex sese prosterneret; honesta indole impulsus oravit fratrem, talibus verbis eum 36.
allocutus: »Tu, legum gnarus, omnino rex es.« — At
Râmas fortissimus patris iussu regnum recusavit; et calceis suis pro imperii pignore iterum iterumque ei tradi- 37.
tis, frater natu maior tandem Bharatam impulit, ut reverteretur. Is, optato non potitus, Râmae calceis acce- 38.
ptis, in oppido Nandigrâmo regni sedem constituit, de
illius reditu anxie sollicitus. Râmas quoque, veritus ne 39.
cives popularesque denuo se adirent, monte isto relicto, in
silvam Dandacam progressus est. Virâdho gigante caeso, 40.
Sarabhangum conspexit, Sutîxnum quoque et Agastium,
nec non huius fratrem. Tunc Agastii consilio arcum In- 41.
drae apprehendit, et acinacem, summa cum laetitia, pharetrasque binas, sagittis inexhaustas. Dum ibi in silva 42.
inter silvicolas habitabat, ut de Daemonum et Gigantum
caede cum eo agerent, cuncti anachoretae, tutelae ino- 43.
pes, tanquam numen tutelare adierunt Râmam, loti folia
oculis referentem, conflictu arduum sicuti magnum Indram, acinacem, arcum sagittasque gestantem. Tunc ab 44.
ipso, fratre auxiliante, Sûrpanakha, femina gigantea,
saltum Janasthânum incolens, libidine furens, deformata

---

10) Sic dicuntur imprimis Brachmanae, in universum autem trium ordinum superiorum homines, quoniam a pueritia inde certis sacris initiantur, quae initia secundae nativitatis instar habentur.

Digitized by Google

45. est. Deinde Sûrpanakhae sermone excitatos cunctos gi-
gantes, Kharumque Dûshanumque, monstrumque TRICEPS
46. occidit in proelio, solus ipse cunctos gigantes, eorumque
agmen, ad quatuordecim millia. Audita porro cognato-
47. rum caede, gigas per triplicem mundum celebratus, Râ-
vanas nomine dictus, versipellis, robore pollens, gigan-
48. tum rex, bellator, ira vecors, socium sibi elegit gigan-
49. tem, Mârîchum nomine. Idem quamvis crebro a Mârî-
cho hunc in modum deterritus: »Nulla tibi est facultas,
50. o Râvana, valido isti resistendi!« nihilominus istius ser-
mone spreto, actus fato cum Mârîcho Râmae secessum
51. adiit. Quum istius praestigiatoris fraude ambo regis filios
longe inde abduxisset, rapuit Râmae coniugem, interfecto
52. vulture Jatâyushe. Raghuides, cum vulturem occisum,
coniugemque Mithilensem raptam cerneret, moerore af-
53. flictus, turbatis sensibus in lamenta se effudit. Deinde,
inter hunc ipsum moerorem vulture Jatâyushe combusto,
Sîtam in silva investigans gigantem aliquem conspexit,
54. Cabandhum nomine, specie deformem, visu horribilem;
hunc caesum lignis cremavit, quo facto is formam aethe-
55. riam assumpsit. Deinde Cabandhus narravit ei de Sava-
ride ascetria, et exhortatus est eum, ut feminam religio-
56. num peritam adiret. Cuius de consilio Râmas, omnis
culpae insons, vigore praeclarus, hostium interfector,
57. Savaridem adiit. Ab ea omni modo honorifice exceptus,
Dasarathae filius ad fluminis Pampae ripam cum Hanu-
58. mante simio est congressus; cuius de consilio porro cum
Sugrîvo congressus heros praevalidus, totam rem ei ex-
59. posuit. Sugrîvus autem, omnibus Râmae conatibus audi-
tis, laetus amicitiam cum eo iunxit, igne sacro tanquam
60. teste adhibito. Deinde ex animi affectu narrationem ple-
nissimam de simultate sua cum simiorum rege, qua af-

Digitized by Google

flictus erat, Râmao exposuit; hic autem protinus opem 61.
suam ad interimendum Bâlinem ei pollicitus est. Tunc
simius Bâlinis robur, quantum esset, declaravit. Attamen 62.
ut sui fiduciam faceret Raghuidae, monstravit ei Sugrîvus
Dundubhis corpus eximium, magni montis instar. Heros 63.
ille praevalidus, spectatum cadaver ludibrio habens, pe-
dis pollice per integrum decem parasangarum 11) spatium
proiecit. Diffidit porro septem arbores palmyras 12) sa- 64.
gitta, arundine haud quassata; diffidit montem et iacula-
tus est in loca infera, sui fiduciam facturus. Tunc si- 65.
mius ille procerus, animo alacri, confirmatus a Râma,
cum eo profectus est ad speluncam suam, Cishcindham
dictam. Deinde Sugrîvus, simius egregius, auri colore 66.
fulvus, mugitum edidit, quo sono immani excitatus pro-
cessit simiorum rex. Is Târam *coniugem* consolatus 13), 67.
cum Sugrîvo congressus est, ibique una sagitta confecit
cum Raghuides; qui postquam Sugrîvi hortatu Bâlinem in 68.
proelio necaverat, in istius imperio ipsum Sugrîvum con-
stituit. Is inter ceteros praestans, omnes simios congre- 69.
gatos in diversas coeli plagas dimisit, Janaci filiam vi-
sendi cupidus. Tunc vulturis Sampâtis monitu validus 70.

---

11) Hoc nomine Persico reddere liceat vocabulum Sanscritum *yôjana*, quandoquidem inter mensuras apud veteres usitatas parasanges proxime ad *yôjanum* accedit, si minorem huius aestimationem sequimur: variat enim ea apud ipsos Indos. Cf. WILS. LEX.

12) Est arbor e palmarum genere, *Borassus flabelliformis*, et ligni duritie et stipitis crassitudine insignis. Cf. ROXBURGH COROM. Tab. 71, et RHEEDE HORT. MALAB. T. I, Tab. 9. 10.

13) Expressi veram lectionem *anumânya*, pro qua in textu *avamânya* perperam legitur.

Digitized by Google

Hanumantes maris salsi fretum, per centum parasangas
71. expansum, transiluit. Quo facto cum urbem Lancam intraret, Râvanae imperio parentem, ibi conspexit Sîtam,
72. meditabundam in viridario Asocis 14) opaco. Monstrato ei pignore arcano, coeptisque Râmae expositis, alio pignore invicem ab illa accepto, confregit viridarii portam.
73. Quinque copiarum ducibus, nec non septem filiis ministrorum regis caesis, adolescente Axo contrito, tandem
74. se capi passus est. Quum e laqueo semet ipse expedivisset, agnitis tamen Magni Parentis donis *hosti concessis*,
75. sua sponte fortis ille gigantes tortores toleravit. Deinde urbe Lanca incensa, puella Mithilensi denuo visa, reversus est simius procerus, ut Râmae nuntium gratum affer-
76. ret. Quem assecutus, magnanimum venerabundus circumambulavit, et admodum laetus certiorem fecit, Sîtam a
77. se esse visam. Tunc Râmas, Sugrîvo comitante, ad litus maris immensi profectus, Oceanum concussit sagittis solis
78. radios aemulantibus. Oceanus, fluviorum dominus, coram adspiciendum se dedit, eiusque de consilio Râmas Nalum
79. pontem iungere iussit, quo strato Lancam progressus, Râvana in certamine caeso, Vibhîshanum in urbe Lanca
80. gigantum principem inauguravit. Sîta deinde recuperata heros, summo pudore affectus, coetu frequenti coram
81. probrose eam allocutus est. Indignata vero Sîta, mulier casta, flammas intravit, *ut se intactam probaret*. Tum
82. aura coelestis spiravit, et vox incorporalis insonuit: quo Ignis testimonio, simulque patris sui venerandi hortatu

---

14) *Jonesia Asôca*, est arbustum formosissimum, floribus croceis, noctu odoriferis insigne. Vide descriptionem Roxburghii in ASIAT. Res. Vol. V. Saepissime ludunt poëtae in nomine, quod *ἄλυπον* sive *παυσάλυπον* sonat.

Digitized by Google

permotus Râmas, quum Sîtam vacuam ab omni culpa cognovisset, intemeratam recepit. Propter magnum istud 83.
opus perfectum propitii Divi, Indra duce, cum coetu Sapientium coelicolarum Raghuidem venerati sunt. Tali 84.
honore ornatus a numinibus universis, summopere ei faventibus, omni negotio peracto, Râmas porro futuri securus, lactitiae indulsit. Divûm favore votum adeptus, 85.
ut reviviscerent ipsius socii bello caesi, similis in vitam revocatis, curru Pushpaco conscenso, ad oppidum Nandigrâmum profectus est. Ibi Raghuides capillos more 86.
ascetarum plexos solvit, et cum fratribus in urbem Ayôdhyam reversus, regiam dignitatem denuo adeptus est. Populus, lactitia alacer, tranquillus, victu abundans, legi 87.
sacrae obtemperans, sanus utique, neque ulla lue afflictus, a caritate annonae ceterisque calamitatibus exemtus mansit. Patresfamilias nunquam ibi mortem filiorum ad- 88.
spiciunt, mulieresque, semper obsequio erga maritos deditae, non fiunt viduae. Nullum ibi exstat periculum ab 89.
incendiis, nec proluvie aquarum merguntur homines; nullum exstat periculum a tempestatibus, neque a latronibus denique. Urbesque provinciaeque opibus et fru- 90.
menti copia florent, civesque omnes semper sunt laeti, plane sicuti in seculo aureo. Gloriosus Raghuides autem 91.
centenis sacrificiis equinis litatis, aliisque magno auri dispendio celebratis, immensis opibus inter Brachmanas distributis, centuplicem propagabit regum progeniem, et in 92.
hoc orbe terrarum quaternos civium ordines, quemque in suis officiis coërcebit. Denique per decem millia an- 93.
norum, decies centenis additis, Râmas imperio functus, ad BRACHMANIS sedem evehetur. —

*

Digitized by Google

94. Carmen hoc de Râmae rebus gestis, lustrale, sanctum, librisque sacris acquiparabile qui legerit, is omnibus piaculis liberabitur.

*

95. Quilibet vir, legens hocce carmen vitale, RAMAYANUM dictum, cum filiis, nepotibus omnique coetu post obitum in coelo amplificabitur.

*

96. Brachmana hoc legens sibi parabit eloquentiae principatum; vir e stirpe militari terrae dominationem; mercator colonusve commerciorum prosperitatem; homo denique vel servili conditione, auscultans modo, capiet incrementum.

*

Digitized by Google

CAPUT II.

Brachmanis adventus.

Audito hoc Nâradae sermone, Vâlmîces sermonum 1.
peritus cum discipulo ad summam admirationem raptus
est; et mente tacita quidem magnus anachoreta Râmam 2.
adoravit, tum Nâradam ipsum est veneratus cum disci-
pulo. Nâradas deinde, Sapiens coelicola, sicuti decet ab 3.
isto honoratus, venia abeundi petita dimissus, in Supe-
rûm sedes remeavit. Quo ad mundum divinum profecto, 4.
brevi post, anachoreta adiit Tamasae 1) fluvii ripam, haud
longe a Gange dissitam. Ad quam simul atque accesse- 5.
rat anachoreta, conspecto vado, cui nullus suberat limus,
discipulum lateri adstantem allocutus est: Adspice, Bha- 6.
radvâje 2), vadum hocce, nullo limo turbidum, iucundum

1) Exstant per Indiam complures amnes huius nominis, quod sono corrupto hodie in *Tonse* abiit. Non facit huc *Tamasa*, quae in altissimis Imai (*Himavantis*) iugis in Yamunam, haud procul ab utriusque fonte, influit. Ea enim vicina Gangi dici nequit, et patet e tota descriptione, secessum Vâlmîcis non in regionibus montanis, sed in planitie situm fuisse. Cf. descriptio itineris ad Yamunae et Gangis fontes, Asiat. Res. Vol. XIII, p. 178 et 186. — Altera Tamasa inter *Sarayum* (Gogra) et *Gômatem* versus Gangem decurrit; tertia cursu opposito haud multum infra Yamunam in eundem infunditur. Ad hanc Tamasam in dextera Gangis ripa prope confluentes secessus Vâlmîcis ponitur, ut luculentissime patet e septimo Râmeïdos libro.

2) In Râmeïdos Lib. II, Cap. LIV. prodit in scenam anachoreta eiusdem nominis, in secessu suo ad Yamunae et Gangis confluentes coetui discipulorum praesidens, quem verum esse *Bharadvâjum*, id est a veteri memoria traditum,

Digitized by Google

7. pellucidumque sicuti mens bonorum. Aptum id est ad
lavandum, fundo aequali, placidum, limpidum, glarea
minuta constratum; deponito urceum, sodes, et porrigito
8. mihi subligaculum e libro contextum. Immergam me hoc
egregio Tamasae vado; diligenter accuretur, ne tempus
9. opportunum praetereat. Ille magistri iussu festinanter a
tugurio reversus, subligaculum secum allatum magistro ex-
10. hibuit. Vâlmîces e discipuli manu accepto subligaculo
indutus, in aquam immersus quum se abluisset, precibus
11. submissa voce recitatis, latice in Manium Deûmque ho-
norem rite libato, ambulavit deinceps, silvam profundam
12. undique dispiciens. Tunc ibi conspexit ardearum par,
pulcrum visu, circa Tamasae ripam securitatis habitu am-
13. bulantium. Ex hoc autem pari alterum, marem, venator
indole ferox, qui furtim subierat inobservatus, iuxta ana-
14. choretam telo percussit. Hunc, membris cruore conspar-
sis, palpitantem in terra videns ardea femina afflicta, fle-
15. biliter eiulavit per aëra circumvolitans, orbata coniuge
suo, alato comite, rubris pennis cristato, lascivo, volu-
16. cri, secum copulato. Tali statu quum avem a venatore
deiectam vidisset, Sapiens ille pius misericordia commo-
17. tus est. Quo tenero animi affectu porro nefas hoc de-
testatus vates, contemplans ardeam istam flebiliter cla-
18. mitantem, haec cecinit: »Utinam ne tu, venator, per omne
»aevum bona fama gaudeas, quod ex ardearum pari al-
19. »terum necasti, amore flagrantem!« Dum ita loquebatur

---

statuo. ARG. CARM. CAP. I, 30. Inde horum capitum auctor et nomen et personam huc traduxisse videtur: haud satis apte quidem in tam diversa vitae conditione, attamen consulto, ut tanto discipulo maior poëtae dignitas accresceret.

Digitized by Google

in conscio sui corde subnascebatur ipsi cogitatio: Quid-
nam hoc est effatum a me, moerore propter avem afflicto?
Per aliquod tempus meditatus sententiam istam et perscru- 20.
tatus, discipulum Bharadvâjum lateri adstantem his verbis
compellavit: Vox haec, pedibus adstricta, syllabarum nu- 21.
mero aequalis, coniuncta cum rhythmo et modulatione, a
me moerente emissa SLOCUS 3) dicitor, haud aliter. Disci-
pulus autem sermonem egregium, ab anachoreta prolatum, 22.
idem affirmando comprobavit, caritatem erga magistrum
palam faciens. Ille, postquam aqua e vado isto hausta rite 23.
se adsperserat, eandem rem secum mente revolvens, ad
tugurium rediit. Magnum anachoretam subsecutus est mo- 24.
destus Bharadvâjus, discipulus probatissimus, urceum aquae
plenum secum asportans. Sanctus ille, quum in secessum 25.
suum intrasset, simul cum discipulo, considens in tugurio,
tacitus in contemplatione defixus mansit. Tunc advenit 26.
BRACHMAN, ipse mundi conditor et rector, quaterna ora
gerens, augustus, egregii Sapientis invisendi gratia. Quem 27.
conspicatus Vâlmîces quidem subito assurgens, voce com-
pressa, manibus suppliciter iunctis, venerabundus constitit,
vehementer miratus. Quum BRACHMANEM rite salutasset, et 28.
interrogasset, an perpetuo valeret, veneratus est deum
suetis honoribus, aqua ad pedes lavandos, patera hospi-
tali, et sedili apposito. Almum numen loco honestissimo 29.

---

3) Ludit poëta in vocis utriusque consonantia: *sôka* est moe-
ror, *slôka*, metrum heroïcum. Vix monendum, non
legitimam esse derivationem, sed ex eo genere notatio-
num, quo fortuita similitudo ad sensum trahitur. Exstant
eius exempla apud Homerum et in libris Mosaïcis. Mi-
rum in modum lusibus eiusmodi etymologicis indulge-
bat antiquitas.

Digitized by Google

consedit; deinde Vâlmîci significavit, ut et ipse conside-
30. ret. Coram ibi sedente prisco rerum genitore, Vâlmîces
in contemplatione defixus erat, mente unice in istam
31. rem intenta. Lugens continuo ardeam feminam, SLOCUM
hunc iterum iterumque canebat, sui sibi non conscius,
32. moerori plane deditus: »Male factum a nefario venatore,
noxia consilia agitante, quod ardeam tam dulce garrien-
33. tem sine ulla causa occidit!« Hunc deinde BRACHMAN
ridens allocutus est anachoretarum principem: »SLOCUS
quidem a te contextus; frustra foret hoc amplius per-
34. scrutari. Sponte sua, o Brachmana! tibi promanavit haec
modulatio. Tu, vatum optime, totam Râmae vitam com-
35. pone. Râmae pii, virtutibus praediti, prudentis, constan-
tis, res per orbem terrarum gestas enarra, sicuti ex Nâ-
36. rada eas audivisti. Quicquid rerum tum secreto, tum
palam gesserunt Râmas iste prudens, Sumitride comi-
37. tante, Gigantesque quotquot sunt; nec non quicquid fa-
ctum sive palam, sive secreto a puella Vidêhana: id omne
38. secundum veritatem tibi notum fiet. Meo favore nulla
vox falsa in carmine tuo invenietur. Compone narratio-
nem de Râma, divinam, *Slocis* contextam, auditu iucun-
39. dam. Quamdiu in terrae solo montes et flumina suis
quaeque locis manebunt, tamdiu Râmeïdos carmen per
40. orbem propagabitur; quamdiu Râmeïdos carmen a te com-
positum propagabitur, tamdiu subinde ad altiora ascen-
41. dens in mundis meis habitabis.« Sic locutus almus BRACH-
MAN ibidem e conspectu evanuit, quo facto Vâlmîces cum
42. discipulo ad summam admirationem raptus est. Deinde
cuncti eius discipuli *slocum* istum iterum iterumque ce-
43. cinere gaudentes, dixeruntque summopere mirati: Luctus,
quem magnus vates quaternis pedibus numero syllabarum
aequalibus cecinit, frequenti repetitione in *sloci* naturam

Digitized by Google

abiit. Vati autem, contemplationi dedito, haec sententia 44.
stetit: »Râmeïda totam eiusmodi *slocis* a me contexi oportet!« Deinde vates ille gloriosus, generoso spiritu ani- 45.
matus, composuit de Râma illustri carmen, famam illustrans, versibus generosa facinora exprimentibus, iucundis, numero syllabarum aequalibus, per centena disticha continuatis.

CAPUT III.

ARGUMENTI COMPENDIUM.

Postquam prima carminis semina vates religionibus 1.
addictus auditu acceperat a Nârada, Sapiente coelicola, contemplando amplius investigans copiosam eius explicationem, quum aqua rite os eluisset, iunctis manibus, in- 2.
sistens verbenae [1]) culmis versus orientem directis, carminis ordinem prosequitur. Quicquid Râmae; Laxmano 3.

---

1) De *verbena* quidem magnopere disceptatur, utrum ea sit certa graminis species, an potius eo nomine omnia gramina et virgulta, quaecunque religionibus apta essent, comprehendantur. Sed neque id egi, ut speciem accurate definirem; exprimere conatus sum usum herbae cuiusdam purae in rebus sacris, Latinis cum Indis communem. Nomina Sanscrita sunt *cusa* et *darbha*, dicitur etiam *pavitra*, i. e. lustralis. Botanices peritis audit POA CYNOSUROÏDES KOEN. Est gramen omnium speciosissimum. Culmi magnitudine tritici, panicula pyramidalis, pedunculis patentissimis. Cf. descriptionem a Jonesio exhibitam. As. RES. Vol. IV, p. 243.

Digitized by Google

et Sîtae, tum regi Dasarathae cum uxoribus suis, aulae
4. regnique incolis contigerat; quicquid ab iisdem dictum,
decretum vel patratum etiam, id omne sanctitatis suae
5. vi secundum veritatem perspicit. Quicquid Râmae, dum
fidem promissorum servans cum binis comitibus, fratre
et uxore, per silvas vagabatur, acciderat, id omne visu
6. assecutus est. Ternorum temporum cognitor mirabili fa-
cultate, quam castimoniis et rerum divinarum contem-
platione sibi paraverat, id omne oculis cernebat, tanquam
7. myrobalani glandem in manu comprehensam. Quo viso
protinus apte composuit carmen de Râmae vita, gemmis
repletum sicuti oceanum, quod omnium mortalium aures
8. demulceret. Divinus ille vates, sicuti ante narrata ei fue-
rant a magnanimo Nârada, composuit fata stirpis a Raghû
9. oriundae; Râmae nativitatem, egregiam virtutem, comi-
tatem erga omnes, caritatem, qua genus humanum am-
10. plectebatur, patientiam, venustatem, sinceritatem; tum alias
narrationes varie mirabiles in itinere cum Visvâmitra sus-
11. cepto, nuptiasque Janacidis arcumque diffractum; con-
tentionem inter Râmam utrumque, Dasarathidaeque vir-
tutes, porro Râmae consecrationem *decretam*, et pravum
12. Caeceïdis animum, nec non consecrationem obstructam
et Râmae exsilium; regis moerorem, lamenta, amentiam,
13. denique mortem; civium tristitiam, eorundemque dimis-
sionem; colloquium cum Nishâdorum rege, et aurigae
14. reditum; deinde Gangis transvectionem et Bharadvâji con-
spectum; hortatu Bharadvâji profectionem ad montem Chi-
15. tracûtum; casae constructionem et habitationem, Bhara-
taeque adventum; Râmae placationem, et libationem patris
16. funeri factam; calceorum inaugurationem, et sedem im-
perii in oppido Nandigrâmo constitutam; profectionem
17. ad silvam Dandacam, congressum cum Sutîxno, conses-

Digitized by Google

sumque cum Anasûya, et medicaminis facici traditionem;
commorationem in Sarabhangi secessu et Vâsavi (*Indrae*)
conspectum; conspectum Agastii quoque, nec non arcum 18.
acceptum, congressum cum Virâdho, et habitationem in
campo Panchavato; derisionem Surpanakhae, eiusdemque 19.
deformationem; caedem Khari et TRICIPITIS, Râvanaeque
concitationem; Mârîchi quoque caedem, nec non puellae 20.
Vidêhanae raptum, Raghuïdae lamentationem, regisque
vulturum necem, porro Cabandhi prehensionem, et Pam- 21.
pae fluvii conspectum, pariterque congressum cum Sava-
ride et cum Hanumante; Raghuïdae magnanimi querimo- 22.
niam in Pampae ripa, aditumque ad montem Rishyamû-
cum, congressum cum Sugrîvo; fiduciae mutuae confir- 23.
mationem, amicitiae foedus, certamen inter Bâlinem et
Sugrîvum, Bâlinis caedem, Sugrîvi constitutionem in im-
perio; Târae lamenta, pactionem, noctem pluvialem per- 24.
vigilatam, iram herois Raghuïdae, copiarum congregatio-
nem, dimissionem simiorum in cunctas coeli plagas, orbis 25.
terrarum descriptionem, annuli traditionem, speluncam
ursi conspectam; porro simiorum propositum vitam inc- 26.
dia finiendi, nec non Sampâtîs conspectum, et montis
adscensum, saltumque trans mare datum; Oceanique iussu 27.
montis Maenaci inspectionem; Sinhicae caedem et sedis
regiae Lancae conspectum; nocturnum introitum Hanu- 28.
mantis in urbem Lancam, eiusdemque deliberationem,
aditum ad forum lacu publico instructum, conspectum
gynaecei regii; accessum ad viridarium *asocis* opacum, 29.
ibique Sîtae conspectum, colloquiumque cum puella Mi-
thilensi, et pignoris traditionem; gemmam mutuo a Sîta 30.
traditam, pariterque arborum cladem; fugamque femina-
rum gigantearum, et famulorum caedem; prehensum Aë- 31.
ris natum (*Hanumantem*), tumultum propter Lancam in-

Digitized by Google

censam, deinde saltum *trans mare* retro datum, nec non
32. mella comesa; Râmae consolationem et gemmam ei exhibitam; congressumque cum Oceano, pontemque Nali
33. opera iunctum; traiectum Oceani; Lancam noctu obsessam, conspirationem occultam cum Vibhîshano, significationem doli ad Râvanam conficiendum, Cumbhacarni
34. caedem, Meghanâdi necem, Râvanae interitum, nec non
35. Sîtam recuperatam; Vibhîshani consecrationem et currus Pushpaci conspectum; adventum deorum, BRACHMANE duce,
36. ad fidem castitati Sîtae faciendam; currum Pushpacum conscensum, congressum cum Bharadvâjo, legationem Aë-
37. ris filii, congressum cum Bharata; Râmae consecrationem instauratam, totius exercitus dimissionem; Sîtaeque repu-
38. dium, et amorem civium conciliatum; quicquid denique eventurum erat Râmae, dum in terris moraretur, id omne in ultimo carminis libro composuit sanctus anachoreta Vâlmîces.

CAPUT IV.

RHAPSODORUM INSTITUTIO.

1. Quum autem vir solertissimus composuisset carmen hoc, *Râmâyanum* dictum, secum cogitabat: »Quis illud
2. per orbem terrarum celebrare poterit? « Dum in hac cogitatione defixus erat vates contemplationi addictus, pedes eius amplexi sunt Cusus et Lavus [1]), anachoretarum ha-

1) Erant hi Râmae filii gemelli, quos Sîta, propter castitatis violatae suspicionem a marito repudiata, in silvis enixa fuerat; suscepti deinde a Vâlmîce, et patre ignaro in eius secessu educati.

Digitized by Google

bitu. Pius ille adspexit regiam prolem, fratres gemellos, 3.
illustres, voce canora praeditos, in ipsius secessu habi-
tantes. Quos quum nosset magister adolescentes ingenio- 4.
sos librorum sacrorum plane peritos, studii rerum divi-
narum promovendi gratia edocuit eos carmen *Râmâya-*
num, in quo magna Sîtae virtus caedesque Paulastii (*Râ-* 5.
vanae) narratur, quod auditorum aures voluptate perfun-
dit; carmen, recitatione cantuque iucundum, ad ternos 6.
modulos accommodatum, septem tonis musicis adstrictum,
cum melodia et rhythmo coniunctum; ornatum quoque 7.
variis carminum affectibus, amore, fortitudine, horrore,
vehementia, risu, terrore, miseratione, miraculo et leni-
tate. Postquam ambo, tum reverentia Vâlmîcis impulsi, 8.
tum dulcedine carminis allecti, totum id memoriter edi-
dicerant, Vâlmîces, sanctus anachoreta, in capite eos deo- 9.
sculatus, inclinato corpore coram adstantes his verbis allo-
cutus est: Cantetur hoc epos a vobis, nobiles adolescen- 10.
tes, in eremitarum consessu, et in coetu regum sapien-
tum, qui piis operibus student, civiumque honestorum.
Illi autem arte musica penitus imbuti, numeri et modu- 11.
lationis periti, fratres voce canora praediti, Fidicinum
coelestium instar formosi, Râmae speciem referentes quasi 12.
duae imagines ex una expressae, sicuti iussi fuerant a
vate, canebant cum summa animi intentione. Aliquando, 13.
quum convenissent eremitae contemplationi addicti, se-
dentibus prope adstantes ambo cecinerunt hoc carmen.
Omnes autem anachoretae, oculos lacrimis suffusi, ad 14.
summam admirationem rapti, acclamarunt iis: Euge!
pulcre, belle! Laeto animo anachoretae isti legis sacrae 15.
studiosi, laudaverunt Cusum et Lavum canentes, laude
dignos: O cantus dulcedinem, et distichorum praecipue! 16.
Vel id, quod olim gestum est, quasi ante oculos posi-

Digitized by Google

17. tum exhibetur. Sic a Sapientibus religione praestantibus
laudati, spiritum vocemque altius subinde tollentes, ad-
18. modum suaviter canere pergebant. Aliquis ex anachore-
tis laetus dedit iis vas aquarium, aliquis dulcem fructum
silvestrem, aliquis vestem egregiam e libro contextam;
19. alius nebridem dorcadis nigrae obtulit, alius porro filum
mysticum; quidam ollam testaceam, alius anachoreta fu-
20. niculum ex herba *munja* 2) plexum; alius deinde laetus
securim *ad ligna caedenda* illis dedit; alius vittam qua
constringerent comam plexam, alius laetitia affectus funem
21. ad ligna colliganda; aliquis anachoreta vas sacrificum,
alius fascem lignorum, alius sellam e fici materia fabri-
22. catam; nonnulli bona vota nuncupabant. Tunc alii Sa-
pientes prae gaudio longum aevi spatium iis optabant;
cuncti dotes votivas iis concessere, verbis nunquam fal-
23. lentibus. Sic honoratum fuit ab anachoretis antiquum
istud carmen, vitale hominibus, unde poëtae victum quae-
24. siturî essent 3). Hi duo cantores autem ubique laudati

---

2) Est SACCHARUM MUNJA ROXB., e cuius herbae fibris plectitur triplex filum, quod tanquam initiationis signum ex Brachmanum humeris dependet.

3) Memorabilis sane est Sanscrita dictio, *kavinâm upajîvanam*, i. e. quo poëtae victum quaerunt; sed dubitari potest, quo sensu poëtae dicti sint. Etenim si vocem *kavi* respicis, ea significatur vates, qui carmina pangit; sed is e Râmeïde victum quaerere proprie haud commode dici potest; intelligendusne igitur erit locus figurate, ut indicetur, e Râmeïde petita fuisse a poëtis multorum poematum argumenta? quod re vera factum esse scimus. At obstat usus verbi *upajîv*, quod valet vitam sustentare certo quodam quaestu (cf. ROSENII *Rad. Sanscr.* s. v.) et vix figurate usurpatum invenietur. *Kavi* ideo si ampliore sensu accipitur, intelligi possunt *rhapsodi*,

Digitized by Google

in urbibus regiis etiam, regumque in aulis carmen de-
cantabant. Tunc in sacrificio equino Râmas quoque, 25.
quum transeundo eos audivisset, honorifice habitos adduci
iussit per ministros idoneos. Sedebat princeps in solio 26.
aureo, divino, circumdatus amicis inferiore loco sedenti-
bus, fratribusque comitibus. Visis autem fratribus istis 27.
duobus, formosis ac modestis, allocutus est Râmas Lax-
manum universamque aulicorum cohortem: Audiatur hocce 28.
epos, sententiis et numeris mirifice ornatum, ex ore ho-
rum adolescentium divina specie, apte voce suavi canen-
tium. Tunc ambo suaviter, blande, voce animi affecti- 29.
bus obsequente cecinerunt carmen celebrati argumenti,
admodum modulatum et numerosum; id exhilarans omnia 30.
membra, animosque et corda, auditu gratum, refulsit in
hominum coetu. »Hi duo pueri, regiis formae notis no- 31.
»bilitati, Cusus et Lavus, silvam sacram incolentes, mea
»ipsius fata, ut fertur, carmen mirabile a magno vate
»Vâlmîce conditum, decantabunt.« Ambo deinde, Ra- 32.
ghuïde cohortante, carmen istud ex ordine cecinerunt.
Râmas ipse autem, pariterque cohors universa tota mente
illuc abrepti sunt.

---

epica carmina recitando vitam sustentantes. Quod suadet etiam hoc, quod certissimum sit, a rhapsodo quodam profecta esse quatuor priora Râmeïdos capita. Prorsus simile distichon legitur in exordio Bharateae (v. 92. *ed. Frank.*), verum id eidem dubitationi obnoxium est.

Digitized by Google

CAPUT V.

URBIS AYODHYAE DESCRIPTIO.

PROOEMIUM RHAPSODORUM.

1. Quorum regum virtute terra oceano cincta occupata
fertur, a Manû inde sanctorum operum fama illustrium,
2. immensae maiestatis; quorum priscus atavus fuit Sagarus,
cuius ope oceanus est effossus, quem incedentem sexaginta
3. filiorum millia comitabantur: ex horum regum magnani-
morum Ixvâcuïdarum prosapia prodiit ingens hoc epos,
4. *Râmâyanum* dictum. Id ipsum nos ambo recitabimus,
integrum, continuum ab initio, cum honesto, dulci et
utili coniunctum, dignum quod audiatur a benevolentibus.

---

5. Terra ampla, laetifica, prospera, Côsalorum genti
cognominis, adiacet Sarayûs fluminis ripae, pecore, fru-
6. mento, opibus abundans. Ibi sita est urbs, dicta Ayô-
dhya, per orbem terrarum celebrata, ab ipso Manû, ge-
7. neris humani capite, olim condita. Magna haec urbs et
opulenta per duodecim parasangas in longitudinem, per
tres in latitudinem extensa est, variis aedificiis splendens,
8. portis et plateis per commoda intervalla distributis; splen-
dens via regia, quae pulveris sedandi gratia aqua adsper-
9. gitur; domibus continuis, nullo spatio separatis, in solo
complanato exstructa, portis arcuatis et propylaeis, tem-

Digitized by Google

plis aedibusque magnificis repleta; portis ad platearum 10.
exitum firmata, viculis commode directis pervia, moenibus et fossa profunda cincta, omni armorum genere instructa. Rex Dasarathas nomine, magnanimus, imperii 11
amplificator, perinde ac Indras regiam suam, tuebatur hanc urbem, viridariis et *mangiferarum* nemoribus con- 12.
sitam, ingentium arborum 1) ordinibus cinguli instar circumdatam, amoenam, pictam quasi quadratis versicolori- 13.
bus sicuti tabulam lusoriam 2), in xystis publicis ornatam nitidis lacubus, *unde aqua ad bibendum distribuebatur*, Deûm altaribus tensisque decoratam; solennibus 14.
pompis festisque conventibus celebratam, turba laeta et satura plenam; quasi gemmarum fodinam et sedem almae Faustitatis; affluentem eximio potu ciboque, nutritam prae- 15.
stantissimae oryzae granis, nec non thuris, corollarum et olei sacri gratis odoribus fragrantem; elephantis, equis, 16.
curribus frequentem, vehiculis cuiuscunque generis tritam, multorum regum legatis, mercatoribusque illustratam; ve- 17.
xillis super alta domuum fastigia sublatis eminentem, centenis balistis instructam, omni machinarum et armorum genere munitam, ab omni fabrorum genere frequentatam; aurigarum et praeconum turba plenam, opulentam, splen- 18.

---

1) Indicatur species, *sâla*, SHOREA ROBUSTA, quae propter proceritatem laudatur.

2) Spectat hoc ad marmora varii coloris, quibus domorum parietes distincti erant. Tabulam ludo *scacchorum* accommodatam intelligendam esse, ipso nomine *ashtâpada* (quasi ὀκτάπεδον diceres) monemur; siquidem eiusmodi tabula a singulis lateribus octona quadrata exhibet, unde in plano universo sexaginta quatuor efficiuntur. Plane diversa est ratio tabulae lusoriae sive alvei, quo veteres in ludo latrunculorum utebantur.

Digitized by Google

dore incomparabilem; saltatricum et ludionum gregibus
19. undique celebratam urbem; dulcibus tympanorum, tibia-
rum fidiumque sonis strepentem, hymnorum cantu voca-
20. lem, arcuum stridore resonantem; a ducibus fortibus,
omnis artis bellicae peritis, deorum, qui hunc orbem
tuentur, aemulis, militumque millibus propugnatam, si-
21. cuti inferorum regiam a serpentibus; cohonestatam deni-
que Brachmanis eximiis, ignium sacrorum cultoribus,
probis, magistris eorum qui libris sacris student, muni-
ficis, fide, religione, et benignitate insignibus, magno-
rum Sapientum similibus, et omnes animi affectus coer-
centibus.

CAPUT VI.

REGIS PRAECONIUM.

1. In hac urbe Ayôdhya rex fuit, Dasarathas nomine,
librorum sacrorum gnarus, bono publico intentus, longe
prospiciens, magno vigore praeditus, urbanis rusticisque
2. incolis dilectus, Ixvâcuïdarum antesignanus, sacrificus, in-
stitiae observantissimus, sibi imperans, magnis Sapienti-
bus similis Sapiens regalis, per tres mundos celebratus,
3. fortis hostium debellator, prudens, sensuum domitor,
divitiis aliisque opum cumulis Indrae et Cuvêro aequipa-
4. randus, hominum tutor sicuti Manus rex primigenius,
5. regni amplificator. A tali viro, fidei datae servatore,
terna hominum studia (*iucundum, utile, honestum*) co-
lente, custodiebatur urbs optima, veluti ab Indra Amarâ-

Digitized by Google

vatis. In hac imperii sede cives erant laeti, iustitiae de- 6.
diti, progenie fecundi, suis quisque rebus contenti, alie-
narum abstinentes, veridici. Nemo locuplete penu non 7.
instructus erat huius urbis incola; neque ullus paterfa-
milias, quin, negotiis bene gestis, bubus, equis, pecunia
frumentoque abundaret. Nemo erat in regia sede male 8.
vestitus vel pauper; nemo qui cibis immundis vesceretur
vel male oleret; nemo nimis parcus vel pravus; nemo 9.
quin gestaret inaures, gemmam frontalem, floridamque
corollam, et perfunderetur unguentis; nemo armillis non
ornatus; nemo etiam, quin auri drachmam *mercede diurna*
lucraretur; neque erat ibi quisquam sordidus, vel men- 10.
dax, vel perfidus denique, non arrogans, non iracundus
crudelisve, neque sui iactator; nemo non magnanimus 11.
erat, nemo calumniator, nemo alienis bonis se sustentans;
non miser ullus, nec mente turbatus, nec morbo metuve
laborans. Religionum observantes et constantia insignes 12.
erant viri pariterque feminae; viri uxoribus suis contenti,
ac mulieres maritis unice deditae. Forma, solertia, sua- 13.
vitate, honestis moribus virtutibusque praeditae erant fe-
minae in urbe Ayôdhya, mundis ornamentis et vestibus
cultae. Omnes Brachmanae ibi suis ipsorum officiis con- 14.
tenti erant, assidui in sacris faciundis et in voluminum
sacrorum lectione, a fastu et amplo famulorum comitatu
aversi; nullus ex iis trium ignium neglector vel litandi 15.
imperitus, nullus erat quin millia nummûm largiretur;
non quisquam atheus, nec falsiloquus, nec disciplina
sacra destitutus. Ordo militaris Brachmanis dignitate ce- 16.
debat; mercatores et agricolae ordini militari obsequeban-
tur; operarii sua conditione contenti tribus ordinibus
ministrabant. Venerabantur singuli gradu potiore collo- 17.
catos, Patrum Manes, Deos hospitesque; aberat colluvio

Digitized by Google

sanguinis *e violato connubii iure orta*, nec non rituum
18. gentilitiorum colluvio. Erant ibi in urbe eximia homines
longaevi, fidei studiosi, semper cum uxoribus, liberis
19. nepotibusque sociati. Haec urbs ab Ixvâcuïdarum prin-
cipe plane sic sospitabatur, quemadmodum olim a Manû,
20. humani generis capite, hicce orbis terrarum. Bellatorum
ignei vigoris, nunquam e proeliis gradum referentium,
multa millia tuebantur eandem, sicuti leones speluncam
21. montanam. Equis etiam plena erat urbs, e Câmbôja et
Vanâyuïde terra oriundis, ad Sindhum fluvium et apud
22. Vâhlicos generatis, Indrae sonipedum similibus 1). Referta
quoque erat elephantis, in Vindhii montis et Himavantis
iugo natis, robore et virtute mascula praeditis, animosis
23. sine feritate; ex Airavati, Mahâpadmi, Anjani et Vâmani
stirpe procreatis, e specie eorum qui Bhadri, Mandri et

---

1) Equis generosis maxima Indiae pars est destituta; quin et peregre advectorum soboles ibi propagata degenerare solet. Excipiuntur tamen terrae ad Indum s. *Sindhum* sitae. Ceteri, qui hic memorantur, exterae sunt stirpis. *Vâhlici* sunt Bactri circa urbem hodiernam *Balkh*, cuius nomen e Sanscrito contractum putant. *Cambôjâm* lexicographi Angli in ipsa India versus septentrionem ponunt, sed falso. Etenim in descriptione plagae septentrionalis, quam quartus Rameïdos liber exhibet, Câmbôji post Vâhlicos inter varias gentes barbaras nominantur. Cf. RAGHU-VANSA IV, 67 — 69. ubi Raghus, Sindhû traiecto, post *Hunos* devictos demum Câmbôjam adit, nobilium equorum patriam. De *Cambaya* urbe ad sinum Gurjaranum non esse cogitandum, multo minus de *Cambodia* in peninsula ultra Gangem, per se patet. De *Vanâjû* nihil definitum invenio, nisi quod nonnulli Amara-Côshae interpretes statuerunt, equos inde dictos alio nomine esse Persicos. *Ed. Col.* p. 194.

Digitized by Google

Mrigi dicuntur 2); belluis tum dentibus tum proboscide 24.
armatis, semper alacribus, montem statura acquantibus.
Parasangae intervallo vel ultra etiam conspicua est urbs 25.
illa, vero nomine *inexpugnabilis* dicta, ubi rex fuit olim
sanctus Dasarathas.

Hanc urbem Ayôdhyam, nomine suo dignam, por- 26.
tarum vectibus firmatam, domibus magnificis splenden-
tem, pulcram, multis hominum millibus frequentem, re-
gebat plane Indrae similis terrae dominus.

CAPUT VII.

LAUDES MINISTRORUM REGIS.

Antistites et consiliorum participes duo aderant Cô- 1.
salorum regi, Vasishthas et Vâmadêvus, vatum praestan-
tissimi 1), librorum sacrorum et disciplinarum cum iis

---

2) Elephanti montani magis idonei ad bellicos usus habebantur, quam quos silvae campestres alunt: minus obesi quidem illi, sed membrorum compage firmiores. Cf. SACUNTALA, p. 31. *Airavatus* est Indrae elephas; ceteri in locis inferis terrae onus humeris sustentare feruntur: *Mahâpadmus* versus plagam australem. Cf. RAM. I, c. XLI, 18. *Vâmanum* et *Anjanum* in capite modo laudato non denuo memorat noster. Paullo aliter AM. SINHAS, (*ed. Col* p. 13.) quem Wilso secutus, Vâmanô austrum, Anjano occidentem vindicat. — A dorcadum similitudine *mriga* dicuntur elephanti, qui maculam albam in fronte vel proboscide habent, quales passim in picturis Indicis visuntur. Ceteras varietates ignoro.

1) Praecipit Manus (VII, 78.) regibus, ut duos ministros habeant ex ordine sacerdotali, quorum alter dicitur *purôhita*, religionum magister, alter *rûvij*, sacrorum prae-

Digitized by Google

2. coniunctarum penitus gnari. Aderant praeterea eidem principi octo alii ministri, integri, fidi, in curandis im-
3. perii muneribus assidui: Dhrishtes, Jayantas, Vijayas, Siddhârthus et Arthasâdhacus, Asôcus Dharmapâlasque,
4. numero denique octavus Sumantras 2). Hi doctrina instituti, modesti, nobiles, cupidinum temperantes, consi-
5. liorum ac nutuum periti, semper in amicorum commoda intenti, virtutibus praediti, omnes valde strenui, asside-
6. bant regi sicuti Vasues Vâsavo. Ab aliorum obtrectatione erant aversi, nec virtutum suarum copia superbi-

---

fectus. Hic utrique eodem nomine designantur; sed e sequentibus patet, Vasishtham priore munere functum esse.

2) Exstat in Ram. II, c. LXVII, 1 — 3. ministrorum regis enumeratio, ab hac longe diversa, quam ne quis suspicetur ab eiusdem poëtae manu proficisci non potuisse, moneo, re vera alteram alteri non repugnare. Istic enim qui enumerantur, omnes sunt Brachmanae, inter eos Vâmadêvus. Hi cum ceteris regis ministris concilio habito, coniunctim Vasishtham adeunt. Scilicet Brachmanis, qui sacris in aula regia praeerant, in administrando quoque imperio magna tribuebatur auctoritas; attamen non ipsi singulis belli pacisque muneribus fungebantur. Qui autem hic enumerantur octo, horum tres priores ordinis militaris viros fuisse, ipsis nominibus declaratur; quartum et quintum, quorum nomina ad opes quaerendas alludunt, tertio ordini adscribere malim. His fortasse redituum et expensarum cura fuit demandata. Sumantras erat regis auriga, quod munus virum militarem maxime decet. — Vasishthas tum inter septem Sapientes recensetur, tum in Manûs codice (I, 36.) inter decem Progenitores deûm hominumque. Hymni aliquot in Vêdis eius nomen prae se ferunt. Semel dictum sit, poëtam in rebus mythologicis rationem temporum plane non curare, quum aut arbitraretur, tales viros multis mortalium seculis supervixisse, aut eorum consortio reges heroïcae aetatis illustrare vellet.

Digitized by Google

cbant; honesto cultu erant decori, neque consiliorum capiendorum incerti; sollertes in caussis disceptandis, ab- 7.
stinentes, ab omnibus probati; augentes, salva aequitate,
aerarium principis; non sibi invicem adversantes, bene- 8.
voli, affabiles; regni incolas cuiuscunque ordinis tuentes;
domini dicto audientes atque in eius mentem sese insi- 9.
nuantes; consiliis celandis idonei, idonei quoque subtili-
bus inventis. Nihil inexploratum hi habebant, tum apud 10.
cives, tum apud exteros, quod aut in praesentia agere-
tur, aut actum esset; indagabant adeo per speculatores,
quid homines molirentur. Pacis et belli rationes norant, 11.
naturali quadam dexteritatis dote praediti, vigilabantque
pro regis salute, prudentiae acie oculati. Nunquam iidem 12.
a se impetrassent, ut prae ira vel libidinis explendae et
commodi sui gratia falsi quid proferrent. Lenes erant
in puniendo, perpensis hominum tum viribus, tum in-
firmitate; vel filio in noxa deprehenso poenam secundum 13.
leges inflixissent; iustitiae autem respectu ne inimico qui-
dem, dummodo esset insons, erant iniurii. Neque in 14.
urbe, nec reliquo in regno ullus erat fur, aut improbus
homo, nec flagitiosus quisquam, et alienarum uxorum
corruptor. Singuli denique ordines, sua quisque munera 15.
obeundo, incrementa capiebant. Tranquillitate gaudebat
tum regnum universum, tum urbs illa, imperii caput.
Talibus hisce ministris circumdatus rex Dasarathas tue- 16.
batur iusto imperio conciliabatque sibi subditos, et sicuti 17.
sol radiis, ita ipse terram speculatoribus perlustrans, nus-
quam offendebat hostem aut se potentiorem, aut sibi parem.

Hisce ministris, peritis consiliorum auctoribus, do- 18.
ctis, idoneis, dexteris, sollertibus consociatus, rex ille
adeptus est claritatem, qualem splendidis radiis sol oriens.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

SUMANTRAE SERMO.

1. Huic tanta maiestate insigni, pio, magnanimo, de filiis procreandis sollicito, non exstiterat filius, qui stir-
2. pem propagaret. Quae quum secum volveret vir magni consilii, haec ei subnata est cogitatio: Quid impedit, quominus sacrificium equinum instituam, ad filios a diis
3. expetendos? Animo in hanc sententiam confirmato, postquam deliberaverat rex cum ministris in commoda sua
4. intentis, Sumantram, optimum consiliorum socium, allocutus, Protinus, inquit, adducito mihi Vasishtham cum
5. ceteris religionum magistris. Sumantras contra, sic a rege compellatus, hunc sermonem protulit: Domine, audian-
6. tur interim, quae iam dudum ipse audivi. Sanctus Sanatcumârus [1]) olim in sapientum consessu sermonem explicuit, vaticinans de futura filiorum tuorum procreatione.
7. Est quidam Casyapides [2]), *dixit ille*, Vibhândaci nomine clarus; huic nascetur puer, qui Rishyasringas appel-
8. labitur [3]). Is anachoreta in silvis natus educatusque inter

---

1) *Sanatcumârus*, cuius nomen aeternam iuventam sonat, erat BRAHMANIS filius, et e maximis natu hominum Progenitoribus; nihilominus tamen Sumantras ait, se ex eius ore vaticinium accepisse. Cf. adnot. ad c. VI, 1-3.

2) Intellige aliquem e Casyapi posteris, innumera enim eius proles traditur.

3) Traxerat RISHYASRINGAS nomen a *dorcadis cornibus*, quae in fronte eum gessisse fabulabantur. Cf. MAN. X, 72. et scholion *Cullûcabhatti*, qui e dorcadis utero fusum fuisse diserte affirmat. Nec tamen de patris concubitu cum bruto animali est cogitandum, a qua foeditate Indi summopere abhorrebant. Sed Vibhândacus, quum sine

Digitized by Google

feras silvestres, nullum alium mortalem cognoscet, patre excepto. Intemeratam servabit hic magnanimus discipli- 9.
nam, qualis decet adolescentem Brachmanam, et austerae eius castimoniae per orbem celebrabuntur. Eiusmodi 10.
vitam degenti omne tempus consumetur igne sacro sustentando, patrisque in obsequio. Eodem autem tempore 11.
Lômapâdus augustus, potentissimus Angorum 4) rex inclarescet; cuius propter piaculum aliquod siccitas hor- 12.
renda e pluviarum defectu orta in eius ditione ad incolarum pernicieni multos in annos perdurabit. Hac sic- 13.
citate vehementer conturbatus rex ille doctos religionum praesules consulet de eiusdem remedio. Vos, viri vene- 14.
randi, inquiet, in rerum divinarum scientia sane versati, sortis humanae quoque casus nostis; ergo declaratote voti rationem aliquam, qua expiatio fieri possit. Audito 15.
Lômapâdi sermone Brachmanae isti eximii respondebunt:

---

uxore in silvis degeret, mirabili quadam voluntatis vi natum sibi paravisse credebatur, quales multi *filii spiritales* virorum sanctorum memorantur.

4) *Angorum* terram ponit noster ad confluentes Sarayûs et Gangis; addit quoque pro more suo etymon nominis e mythologia petitum. Cf. Lib. I, c. XXVI, 14. Longe aliter lexicographi Angli, dum Angos Bengaliam proprie sic dictam cum provincia Bhagalpurana esse volunt, secuti V. Cl. *Colebrookium*, As. Res. V, p. 56. qui quidem nullum laudaverat testem. Temporis decursu sane regionum nomina cum ipsis incolis aliorsum migrare potuerunt. Attamen ad vetera nomina geographica recte definienda firmiori praesidio uti non possumus, quam descriptionibus itinerum in carminibus epicis, quae plerumque omnem dubitationem de situ locorum tollunt. Ex itinere Dasarathae ad Lômapâdum (Lib. I, c. X, 16. 17,) apparet, huius regnum a Côsalis non valde remotum fuisse.

Digitized by Google

Vibhândaci natum, o rex, cuiuscunque modi captionibus
16. huc adducito; quam primum vero Rishyasringam anacho-
retae natum adduxeris, des ei filiam tuam nuptum, ritu
17. accurate observato. Quorum dicto audito rex meditabundus
multimodis secum volutabit, quanam captione fieri possit,
18. ut adolescens ille strenuus ad se adducatur. Quum au-
tem, ipse consilii inops, in nulla sententia constiterit, tunc
familiares convocatos denuo de consilio percunctabitur,
19. atque antistiti sacrorum domestico ministrisque instanter
mandabit, ut sibi adducant honorifice habitum praeclarum
20. istum Rishyasringam. Illi vero, dicto regis audito, obse-
crabunt eum afflicti, turbato vultu, ne se anachoretam
21. metuentes eo proficisci iubeat. Deinde, varios dolos rei
perficiendae aptos amplius meditati, profitebuntur se utique
22. adducturos esse eum, et quidem sine ulla noxa. Quorum
commento accuratius cognito, terrae dominus, tertio die
23. consilio cum ministris expedito, vatis filium illecebris me-
retricum, habitum anachoretarum imitantium, captum sub-
24. tili dolo e patris secessu suam in urbem adducet. Tunc
pluviae copia fiet in ditione regis, simul atque eo acces-
25. serit sollers anachoretae natus. Porro rex Sântam filiam
suam, forma, ingenua indole, virtutibusque praeditam, rite
26. illi in matrimonium dabit. Hunc in modum illustris Ri-
shyasringas, gravitate praepollens, Lômapâdi regis gener
27. fiet. Idem regi Dasarathae quoque filios exoptatos com-
parabit maximo sacrificio, latice pingui in altarium ignes
28. libato. Hactenus a me sermo Sanatcumâri, quem ille in
sapientum coetu expromebat, fideliter et ex ordine est re-
29. latus. Laetus inde Dasarathas, invicem Sumantram allo-
cutus, Arcessitum Rishyasringae, inquit, fusius mihi tu
narres velim.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Episodium de Rishyasringa.

Tum Sumantras ita compellatus narrare coepit, quo- 1.
nam dolo a ministris regiis arcessitus sit Rishyasringas.
Antistes, *inquit*, ministris comitantibus, coram Lômapâdo 2.
hunc in modum verba fecit: Dolus hicce, cui nihil doli
mali subest, a nobis fuit excogitatus. Rishyasringam, 3.
utpote qui sit silvicola, castimoniarum consuetudine unice
contentus, feminarum, rerum ad vitam cultiorem perti-
nentium, voluptatisque ignarus, gratis sensuum blandi- 4.
mentis, qualia hominum mentes commovere solent, delu-
sum e silva in urbem adducendum curabimus. Instru- 5.
endae sunt naves perelegantes, quibus imponantur variae
arbores ad naturalium speciem arte conformatae, unde
pendeant multa poma odorata, e condimentis confecta;
circa has arbores, variis avibus frequentatas, odoratis 6.
floribus abundantes, distendantur pro umbraculis aulaea
varie picturata. Eiusmodi naviculis insistant puellae ve- 7.
nustae, oculis iuventae lascivia ebriis, omnes formoso
corpore conspicuae, voce et fidibus canendi peritae, nec 8.
non saltationum motibus habiles, fraudis et blanditiarum
gnarae, in omni arte meretricia versatae. Anachoretarum 9.
vestitu amictae eo proficiscantur puellae, et secreto eum
adeuntes abducant religionibus addictum adolescentem.
Rex pius, sermone antistitis et ministrorum audito, quum 10.
assensum suum significasset, hi protinus iussa eius per-
fecere. Lauta supellectili instructae ad anachoretae seces- 11.
sum profectae navibus puellae e saltatricum choris dele-

Digitized by Google

12. ctae, vastam illam horrendamque silvam intravere. Haud
procul a tugurio subsistentes, id primum sedulo agere,
ut eum conspiciant, Vibhândaci metu turbatae, frutici-
13. bus ac virgultis sese occultantes. Postquam vero specu-
lando compererant, senem a tugurio paullo longius ab-
esse, tunc in conspectum filii prodiere, ut ei se visen-
14. das exhiberent. Festive deinde illae inter se iocari, va-
riis lusibus pilarumque iactatione, cantantes, ludibundae,
15. molli motu saltantes; odoratis corollis redimitae, unguen-
tis bene olentibus delibutae. Nonnullae, libidine quasi
languentes, opera data in terram delabi, et rursus exsi-
16. lire. Vestibus volitantibus et delicatis armillarum orna-
mentis leniter sese invicem ferientes, venustam procacita-
17. tem ostentant. Compedum aurearum tinnitibus et suavi
lusciniae cantu personans instar sedis Fidicinum coele-
18. stium vocalis tunc silva ista exstitit. At illae oculorum ac
superciliorum vibranti nutu, gestuque manuum loti flores
aequantium signa furtiva edentes, quibus iuvenes laetitia
19. efferri solent, lascivientes undique prosiliebant puellae
formosae, ut modestum anachoretae filium ad cupidinem
20. accenderent. Rei novae et inauditae spectaculo in sum-
mam admirationem raptus Rishyasringas festinanter ex tu-
21. gurio egressus est: neque enim a natalibus inde sanctus
adolescens aut feminam aut marem viderat, aut aliud quid-
quam ex earum rerum genere, quae in urbibus agrisque
22. cultis parantur. Tunc autem, quum puellas graciles, toto
corpore formosas conspexisset, nitidis vestibus ornamen-
23. tisque insignes, suavi voce canentes, propius illuc acces-
sit curiositate commotus Vibhândaci filius, et cognoscendi
24. cupidus adstitit mente attonita. Illae blandiloquae, gran-
dibus oculis conspicuae, animadversa eius admiratione,
cantum cum leni susurro modulatae, simul ei arrisere;

Digitized by Google

propiusque accedentes, lascivia languidae eum sunt allo- 25.
cutae: Quisnam tu, cuiusve natus, qui tam subito nobis
adstitisti? Quamobrem solus silvam desertam pervagaris? 26.
Nos quidem nosse te cupimus, at tu verum nobis dicas,
praeclare adolescens. Visis puellis nunquam antea visis, 27.
formae lenocinio praeditis, nata est ei ex affectu prompta
voluntas genus suum enarrandi. »Pater meus est Casya- 28.
pides, Vibhândacus nomine, cuius ego sum proles ge-
nuina, Rishyasringas nomine dictus. Tugurium nostrum, 29.
o decori facie iuvenes, prope hinc, ecce, situm est; ibi
vos universos hospitio excipiam, sicuti decet.« Quo ser- 30.
mone audito cunctae statuerunt istius secessum invisere,
eumque sunt comitatae. Vibhândaci natus hospites vene- 31.
ratus, Ecce, inquit, pateram hospitalem, ecce pedum lava-
tionem, ecce radices esculentas et poma silvestria. Puel- 32.
lae, honore libenter accepto, dulce ridentes his verbis
eum allocutae sunt: Nobis quoque, ecce, pomorum exi- 33.
miorum adest copia; si tibi placet, Brachmana, poma
haec in secessu nostro nata accipe, amabo, et sine mora 34.
comede. Aqua haec e lacu puro hausta utique bibatur,
o sancte adolescens. Deinde porrexerunt ei dulcia bel- 35.
laria, in pomorum speciem conformata, aliaque edulia
varia, dulcesque latices florum nectare saporatos. Quae de- 36.
gustata persuasit sibi castus asceta esse vera poma, quippe
qui semper in silvis habitans nunquam talia gustasset.
Puellae gaudio elatae singulae deinceps eum amplexatae, 37.
collo eius lacertos iniicere, ridentes et lascivia diffluentes,
nectareisque labellis afflantes in aurem ei nescio quid in- 38.
susurrare, et undique papillis turgidulis leniter eum at-
tingere. At adolescens, laticum odoratorum potu exhi- 39.
laratus, iuvenilibus puellarum artubus contactus, plane
desipere coepit. Illae venia abeundi a Brachmana petita, 40.

Digitized by Google

per speciem statae cuiusdam caeremoniae perficiendae,
41. metu senis cito ad discessum animum converterunt. Quum
prius secessum suum, quem simulabant, haud longe inde
remotum, ei indicassent, occultis tramitibus abiere, de
42. reditu patris sollicitae. Quibus hunc in modum profectis,
Rishyasringas vehementer commotus, mentis non amplius
43. compos, desiderio aegor, huc illuc vagari. Mox ad ha-
bitationem suam reversus Casyapides, quum adolescentem
44. cogitabundum turbatumque vidisset, quaesivit ex eo, cur
se non salutaret. Hodie, inquit, curarum quasi oceano
45. mersum, filiole, te cerno. Nunquam sane religionum
cultores talem habitum prae se ferunt. Confestim mihi
46. narra, quanam re haec mutatio sit effecta. Ita compella-
tus a Casyapide adolescens patri caussam declaravit. Vir
venerande, ait, visi sunt hic a me homines decoris oculis
47. insignes, qui pectoribus tenerrimis mirum in modum tur-
48. gentibus, me attigerunt, undique presse amplexati. Can-
tant liquida voce, modis animum delinientibus, continuo
invicem sese excipientes, luduntque mirifice cum vibranti
49. oculorum superciliorumque motu. Rishyasringae sermone
audito vir sanctus contra, Gigantes, inquit, eiusmodi for-
50. mam simulantes, ut castimonias pessum dent, *sub cre-
pusculum anachoretis insidiari solent.* Nequaquam, mi
51. fili, ulla in his fiducia est reponenda. Talibus verbis
adhortatus Rishyasringam Casyapides, postquam ibi per-
52. noctaverat, denuo in silvam egressus est. At ille postri-
die iterum festinans eodem perrexit, ubi viderat puellas
53. formae venustate et tenero latere nitentes. Illae autem,
simulac prospexerunt e longinquo Casyapidae natum ad
se accedentem, obviam ei prodeuntes cum hilari risu
54. hunc in modum eum salutavere: Veni, age, adspice se-
cessum nostrum, o iuvenis venerande! Ibi summo cum

Digitized by Google

honore exceptus, deinde domum remeabis. Quo sermone 55.
feminarum istarum blandissimo audito, ille consilium eundi
cepit, puellas duces secutus. At magnanimo Brachmana 56.
in navem adducto, subito numen imbrem effudit, quo
orbem terrarum exhilararet. Vibhândacus interim, sa- 57.
piens Brachmana, ad habitationem suam accessit; radici-
bus pomisque silvestribus collectis, onere oppressus, eam
intravit. Quum vero tugurium vacuum vidisset, filii de- 58.
siderio aeger, sicut erat fessus ab itinere, ne pedum qui-
dem lavatione curata, eiulans Rishyasringam nomine cla- 59.
mitavit, quoquo versus circumspiciens; nec tamen uspiam
filium cernere poterat sanctus vates Casyapides. Egressus 60.
igitur e silva ista conspexit pagum, et rusticos bubul-
corumque coetus omnimodo percunctatus est: Cuiusnam 61.
est haec regio amoena? cuiusnam sunt pagi boum gre-
gibus abundantes? Vatis sermone intellecto, omnes ru- 62.
stici, manibus iunctis demisse protensis, venerabundi ei
responderunt: Celebratur laudibus Angorum rex, Lômapâdus
nomine dictus; is, o sapiens Brachmana, pagos 63.
hosce cum boum gregibus concessit Rishyasringae, quem
Vibhândaci filium esse aiunt. Ita certior factus vates, di- 64.
vino mentis lumine rem discernens, id ipsum fato decre-
tum quum cognovisset, laetus animi reversus est. Inte- 65.
rim pius anachoretae natus, in egregio navigio, cum in-
genti tonitruum fragore tenebris coelo obductis, simul 66.
imbre large et vehementer effuso, ad urbem regiam ac-
cessit. Quo ex imbre rex Brachmanam advenisse arbi-
tratus, obviam ei processit, et veneratus eum est capite 67.
in terram demisso; pateramque hospitalem ei obtulit, an-
tistitem suum domesticum secutus. Tum rex cum auli- 68.
corum cohorte, placandi eius studiosus, comitatus est
eum, lautissimisque deliciis instruxit, ut sibi eius favo-

Digitized by Google

69. rem conciliaret. Ipse quoque ei ministrabat, veritus ne sibi irasceretur, et filiam oculis loti similibus nuptum ei
70. dedit. Tali modo is ibi habitabat, a rege honorifice habitus, Rishyasringas illustris cum coniuge sua Sânta.

CAPUT X.

RISHYASRINGAE ARCESSITUS.

1. Porro iam, regum praestantissime, ausculta sermonem meum salutarem, quomodo vir ille, deo patre edi-
2. tus, rem narraverit. Orietur (*sic profatus est Sanatcumârus*) ex Ixvâcuidarum stirpe rex pius Dasarathas, fau-
3. stus, fidus promissorum servator. Huic magnanimo amicitia iungetur cum Angorum rege; nasceturque eidem puella
4. ornatissima, Sânta nomine dicta. Filiis autem carens Angorum rex iste, Lômapâdi nomine clarus, regem Dasa-
5. ratham hisce precibus adibit: Progenie ego sum destitutus; te, amice, decet adoptandam mihi dare filiam Sântam, placidae mentis puellam venustam, e qua prolem
6. mihi parem. Quo sermone audito Dasarathas, indole misericors, concedet filiam suam Sântam Angorum domino.
7. Is, puella accepta, sollicitudine exsolutus ad sedem suam
8. revertetur, laetus, votique plane compos. Hanc eandem puellam rex ille nuptum dabit Rishyasringae, qui et ipse
9. laetus erit, talem uxorem nactus. Rex Dasarathas vero, sacrificii parandi cupidus, suppliciter, utpote religionum gnarus, a Brachmanum praestantissimo Rishyasringa expetet,
10. ut se adiuvet in sacro rite perficiendo, quo filios sedemque apud Superos ipse adipiscatur; optatoque potietur illius fa-

Digitized by Google

vore. Deinde nascentur ei filii quatuor, incomparabili vigore 11.
praediti, prosapiae suae gloriam comparaturi, per univer-
sum orbem celebrati. — Hunc in modum olim Sapientum 12.
coelestium praestantissimus, sanctus ille Sanatcumârus,
in anachoretarum coetu fato eventura vaticinatus est. Tu 13.
vero, hominum princeps, *ad Angos* profectus, Vibhân-
daci filium honorifice habitum inde tecum adducito, ve-
nia prius petita ab antistite qui rebus divinis apud te
praeest. Sumantrae prudenti consilio audito, Dasarathas 14.
ad Vasishtham statim accessit, cumque allocutus: Suman- 15.
tras noster, inquit, talia narrat; des mihi veniam rei ten-
tandae velim. Vasishthas quoque, auditis annuens, re-
spondit ei: Fiat! Cuius venia impetrata rex hilari animo 16.
cum aulicorum cohorte consiliorumque sociis profectus
est ad Brachmanae sedem. Silvis fluminibusque sensim 17.
traiectis, quum tandem ad urbem Lômapâdi accessisset,
honorifice exceptus eam intravit. Ibi congressus cum 18.
Brachmana praestantissimo in Lômapâdi regia conspexit
ille Sapientis filium, ignis accensi instar splendentem.
Deinde Lômapâdus laeto animo propter vetus amicitiae 19.
foedus hospitii honorem ei habuit. Sic laute curatus ho- 20.
minum princeps, apud hospitem usque ad septimum vel
octavum diem commoratus, sermonem orsus: Sânta, in- 21.
quit, filia tua, o vir fortis civiumque moderator, cum
marito suo ad urbem nostram veniat, quandoquidem ma-
gnum mihi negotium instat. Consentiens rex Lômapâdus, 22.
et pollicitus de profectione docti iuvenis, adiit deinde
vatis filium, ut rem cum eo communicaret. Tum ami- 23.
citiam, tum cognationem accurate ei exposuit. Rex hicce
Dasarathas, inquit, familiaris meus est valde dilectus.
Ab illo mihi, cum ipse prole orbus essem, et filiorum 24.
desiderio aeger, precanti in adoptionem concessa est

Digitized by Google

25. puella venusta Sânta, carissima ipsius nata. Idem ille, o Brachmana! eodem iure quo ego tuus est socer. Nunc is filiis egens, o bis natorum optime! ad te tanquam
26. praesidium suum confugit: hunc filios nancisci cupientem, mi filiole, in sacro perficiendo adiuvare te decet. Profectus hinc, cum uxore tua Sânta, voti eum compotem
27. facito. Quo sermone audito vatis filius quoque, ultro regi
28. assensus, cum coniuge iter suscepit. Illi duo autem, Dasarathas ac strenuus Lômapâdus, dexteris iunctis invicem se salutaverunt, et prae amore pectora amplexu foverunt.
29. Tunc rex Dasarathas ministros rebus gerendis idoneos ad imperii sui sedem dimisit, optati eventus praenuntios.
30. Sine mora, sic iis imperat, urbs mea festive ornetur, suffimentis lustretur, vici aqua conspergantur et verrantur,
31. vexilla e fastigiis extollantur. Regis adventu comperto, cives gaudio exsultantes operam dedere frequentes, ut
32. regis iussa exsequerentur. Deinde rex intravit urbem pulcre ornatam, cum concharum tympanorumque strepitu,
33 Brachmana egregio in fronte aguinis collocato. Cives gaudio elati fuere, quum regem revorsum viderent, comitatum
34. vatis filio, flammae accensae instar splendente. Populi dominus vero, Rishyasringa secum adducto, arbitrabatur iam negotium se absolvisse, votorumque plene compotem esse
35. factum. Cohors aulica quoque gavisa est, quum Sântam advenisse videret; puellamque venustam cum coniuge suo
36. honorifice excepit. Laudibus celebratus prae ceteris, sicuti ipse rex, Brachmana insignis per aliquantum tempo-
37. ris ibi habitavit. Omni obsequio cultus a Sânta, forma coelesti praedita, fulgebat is perinde atque Arundhatidis consors Vasishthas, summi BRACHMANIS filius.

Digitized by Google

CAPUT XI.

CONSILIUM DE SACRIS FACIUNDIS.

Quam primum tempus anni hibernum praeterierat, 1.
vere ineunte, rex animum intendit ad sacrificandum. Ve- 2.
neratus capitis inclinatione Brachmanam illum divino splen-
dore lucentem, *Rishyasringam*, petiit ab eo, ut in pera-
gendo sacro, stirpis propagandae gratia suscepto, se ad-
iuvaret. Is, regi opem suam pollicitus, porro eum ad- 3.
monuit: Sine mora, o princeps! apparatus sacrorum com-
portari iube. Rex deinde ad Sumantram lateri adstantem 4.
conversus, Auriga! inquit, cito mihi adduc religionum
magistros, quotquot sunt. Sumantras igitur e regis iussu 5.
festinans omnes Brachmanas in libris sacris penitus ver-
satos adduxit: Suyajnum, Vâmadêvumque, Jâvâlem, nec 6.
non Casyapidem [1]), et antistitem sacrorum domesticorum,
Vasishtham, aliosque quicunque aderant primores ex or-
dine sacerdotali. Quos congregatos veneratus rex Dasa- 7.
rathas affatus est hoc sermone placido, pietatis et pru-
dentiae pleno. Nulla plane voluptate fruor, continuo 8.
filiorum desiderio aeger; quapropter consilium cepi de
sacrificio equino peragendo. Hanc ob caussam sacris 9.
operari cupio, in quibus equus hostia est primaria, fre-

---

1) Hi, excepto *Suyajno*, denuo nominantur Lib. II, c. LXVII, 2. *Vâmadêvus* inter auctores *θεοπνεύστους* Vêdorum refertur. Cf. *Colebr.* As. Res. VIII, p. 392, 431. *Jâvâli* non diversus esse videtur a *Jâvâla* sive *Jâbâla*. Cf. Wils. Lex. s. v. et As. Res. VIII, p. 408. Quum Casyapides (*Câsyapa*) sit patronymicum generale, quinam e Casyapi posteris sit intelligendus, definiri nequit.

Digitized by Google

tus auctoritate invenis huius ab anachoreta prognati, ea-
10. que qua vos, viri venerandi, polletis dignitate. Tunc
Brachmanae cuncti, Vasishtha praeeunte, Euge! exclamantes, huic orationi assentiri, regemque ultro laudare:
11. »Omnino tu adepturus es filios optatos valde illustres, utpote in cuius animo tam pium propositum prolis mas-
12. culae obtinendae gratia exstiterit.« Quo sacerdotum responso audito rex, laetitia elatus, Sumantram ceterosque consiliorum ministros hunc in modum commonefecit:
13. Comportantor huc apparatus sacrorum secundum iussa magistrorum meorum; equus, a ministris idoneis curatus,
14. equisone comitante manumittitor, et in Sarayûs ulteriore ripa campus sacer ordinator; placationes praeviae quo-
15. que rite secundum praecepta procurantor. Cuilibet quidem regi fas est eiusmodi sacrificium suscipere, dummodo ne malus error sacratissimam religionem corrum-
16. pat. Sacrorum turbatores, Gigantes qui rebus divinis inhiant, vel minimum vitium rimantur: impedito autem
17. hoc sacro susceptor eius ilico perit. Quare ita ordinandus est apparatus, ut sacrum hocce nostrum rite ad finem
18. perducatur. Vos autem muneri pares novi. — Consiliorum ministri, fide data sic factum iri, dicto audientes, omnia secundum domini iussa accurate sunt exsecuti.
19. Tum Brachmanae isti, rege salutato et venia abeundi petita, faustum eventum praefati, eo reversi sunt unde ve-
20. nerant. Hominum princeps vero, ad uxores accedens quas corde fovebat, Incipitote, inquit, lustrationes praevias; equidem sacra facturus sum filiorum adipiscendo-
21. rum gratia. Quo nuntio gratissimo intellecto mulierum formosarum ora loti instar florida effulsere, veluti solent loti flores, quando hiems praeteriit.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Sacrificium inchoatum.

Vere denuo redeunte annus orbem suum expleverat: tunc 1.
heros ille accinxit se ad sacrificium equinum, prolis gra-
tia susceptum. Salutato igitur Vasishtha et officiose adorato, 2.
rex prolis cupidus hunc sermonem modestum orsus est:
Perficiatur mihi sacrificium, o Brachmana, ad sancta prae- 3.
cepta rite conformatum, ne litare prohibeamur a maligno
quodam sacrorum turbatore. Tu mihi amicus es, ac fa- 4.
miliaris, summusque magister: a te igitur ferendum est
hoc onus, sacrificii gratia susceptum. Vir ordinis sui 5.
praestantissimus regi annuens, Perficiam, inquit, quae-
cunque tu, domine, voto expetis. Deinde allocutus est 6.
sacerdotes aetate provectos, sacris operandi peritos: Con-
stituantur hic ad custodiam homines grandaevi ac probi;
advocentur opifices, parietarii, fabri tignarii, nec non 7.
fossores; astrologi aliique artifices, mimi quoque et sal-
tatores. Tunc ad viros doctos religionumque gnaros con- 8.
versus, Vos, inquit, rebus divinis attendite secundum
regis iussa. Sine mora invitate bis natos ad hoc sacrifi- 9.
cium, in quo multa millia hospitio excipere oportet;
exstruantur deversoria regum lautissime ornata; paranda 10.
quoque sunt Brachmanis coenacula pulcra magno numero,
cibi potusque variis copiis repleta, bene ordinata; porro 11.
stabula ad equos elephantosque collocandos, et famulo-
rum dormitoria, denique tabernacula ampla, in quibus
principum satellites, regionum peregrinarum incolae, de-
versentur. Civium hospitio quoque paranda sunt tecta 12.

Digitized by Google

late extensa, variis dapibus et omnibus commodis instru-
13. cta; rusticorum etiam frequentia abundanter est pascenda.
Dentur in congiaria varii cibi, comiter nec nimis parce,
14. ita ut singuli ordines suo quisque honore fruantur. Ne-
minem libidine vel iracundia suadente contemptui habere
15. vos oportet. Qui vero praecipui sunt sacrorum ministri
vel artifices, his inprimis honos est habendus secundum
16. dignitatis gradus. Vos, viri honesti, id agite mente be-
nevola, ut haec omnia fiant recte ordinata, nec quicquam
17. negligatur. Cuncti, qui convenerant, Vasishthae promi-
serunt, se mandata eius esse exsecuturos, nec quicquam
18. neglectum iri. Tunc, advocato Sumantra, Vasishthas
hunc sermonem orsus est: Tu reges invita, et qui per
19. orbem terrarum pietate sunt insignes: Brachmanas, viros
militares, negotiatores, denique servilis conditionis homi-
nes; multa horum millia e diversis terris huc advoca.
20. Mithilensium regem Janacum, bellica virtute praestantem,
in omnibus disciplinis librisque sacris aeque versatum:
21. hunc faustum principem reverenter salutatum tu ipse ad-
duc, quum veterem domini familiarem eum noris, quam-
22. obrem hoc tibi praecipue commendo. Nec non Câsidis
regem, benignum, comi sermone semper utentem, do-
23. mini nostri augusti aequalem fama illustrem. Cêceorum
quoque regem grandaevum, pietate insignem, domini au-
24. gusti socerum, cum filio suo adduc. Angorum deinceps
regem Lômapâdum, religiosum, diis similem, tu ipse re-
25. verenter salutatum tecum adduc. Denique tum princi-
pes orientales, tum Sindhûs fluvii accolas Sauvîrosque,
et in Surastrene dominantes 1), atque meridiem versus

1) *Mithila*, alio nomine *Vidêha*, est regio sita inter *Gandacem* et *Causicem* fluvios, a septentrione versus Gangem

Digitized by Google

populorem duces, sine mora huc advoca. Praeterea qui 26.
per orbem terrarum nobis amici sunt reges, hos quoque

---

decurrentes. A recentioribus, non a nostro, quod sciam, *Tirabhucti* eadem dicta, unde contractum nomen hodiernum *Tirhoot*. De *Janaco*, eiusque regia sede, multus est sermo in hoc ipso libro, cap. L. et LXVI. sqq. — *Câsî* est *Varânasî*, urbs olim hodieque celebratissima, *Benares*. — *Céceorum* rex, *Asvapates*, erat pater Caeceïdis, a paterno regno sic dictae. De huius situ locus erit accuratius disserendi per occasionem itineris in Lib. II. descripti, c. LXVIII et LXXI. Interim ablegare liceat lectorem ad *Lassenii* Pentapot. p. 12., ubi luculentissima emendatione textui Arriani *Cécei* restituuntur. — De *Angis* supra dictum est ad c. VIII, 11. — Indi accolae ipso fluminis nomine *Sindhu* pro derivato *Saindhava* designantur, quod in Bharatea quoque factum video. Diluv. ed. Bopp. p. 71, sl. 2. Ibidem cum his *Sauvîri* iunguntur, sed sine situs definitione. Editores Srîrâm. ad Persiam eos reiiciunt, quod mihi quidem non persuadent: neque enim est credibile, Dasaratham reges barbaros, ab Indorum religionibus alienos, ad sacrificium celebrandum convocasse. — *Surâshtra*, nomen regionis circa hodiernum *Surate*, in Graeco Συραστρήνη agnoscitur. — Commentatores dist. 24 et 25. interponunt bina disticha, quae leguntur ed. Sr. cap. XI, 51 et 52., in codd. Bengalicis et in nostro Guzeratensi omissa. Iubetur Sumantras invitare regem *Côsalorum* regemque *Magadhae*. Huc respexit sine dubio auctor carminis de Raghuidarum rebus gestis (Raghuvansa) IX, 22., Causaliam filiam regis Côsalorum, Sumitram Magadhensis fuisse tradens. Idem passim (VI, 71. IX, 1. XVIII, 26.) *Côsalos* istos, quibus Dasarathas imperabat, *septentrionales* vocat. Statuebat nimirum poëta recentior, geminos exstitisse populos eiusdem nominis, sedibus divisos; ad quam explicationem sive coniecturam necessario est confugiendum, si *Causalyâ* pro patronymico a *Côsala* derivato accipitur. Etenim legibus vetabatur Dasarathas, uxorem e sua ipsius stirpe

Digitized by Google

27. adducendos cura cum comitibus et cognatis. Sumantras,
Vasishthae sermone audito, ad reges invitandos festinan-
28. ter multos nuntios quoquo versus dimisit. Ipse autem
vir probus profectus est, ut ex vatis mandato reges nomi-
29. natim laudatos debita reverentia invitaret. Tunc opifices
universi Vasishthae summo Sapienti nuntiare, quaecunque
30. ab ipsis sacrificii gratia parata essent. Laetus his nato-
rum praestantissimus illis respondit: Curandum est vobis,
viri honesti, ne in hoc sacrificio aliquid negligatur.
31. A nemine ullo in loco quicquam contemptim est dan-
dum: quod enim sic datur, id datori detrimentum certo
32. afferet. Deinde post aliquot dies noctesque reges adve-
nerunt, multas res pretiosas secum afferentes, quibus Da-
33. saratham honorarent. Quo facto Vasishthas apud regem
hunc in modum verba fecit: Advenerunt, o domine! reges,
34. sicuti iussisti; qui singuli iam a me pro cuiusque dignitate
honorifice sunt excepti. Rite comportata sunt omnia a mi-
35. nistris huic muneri intentis. Procedas igitur ad litandum
versus campum sacrificio destinatum, amplissimo lautitia-
36. rum apparatu undique instructum. Tunc utriusque, Va-
sishthae et Rishyasringae hortatu, die auspicato faustis side-
37. ribus ortis terrae dominus eo profectus est; omnes vero
Brachmanae, quorum princeps erat Vasishthas, sacrificii
equini antistitem secuti, sacris operari coeperunt.

---

regia ducere. At harum rerum ne minimum quidem vestigium in reliqua Râmeïde deprehendi; et Causaliam, tam divino filio gaudentem, a felicitate dictam malim. Offendit porro in priore disticho, quod Côsalorum rex, a Dasaratha diversus, sine ulla discriminis nota nominatur. Denique non oportebat silentio praeteriri, hosce reges Dasarathae soceros fuisse. Quapropter cum criticis Bengalicis eieci versus nimium suspectos.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Sacrificii equini consummatio [1]).

Anno igitur peracto, sonipede isto reduce [2]), in 1. ulteriore Sarayûs ripa regis sacrificium maturabatur. Brach-

1) De immolatione equi, cui principatum inter sacra publica tribuit Manus (XI, 260.), consule *Colebrookium* docte disserentem, As. Res. VIII, p. 436. sqq.

2) Equum sacrificio destinatum manumitti oportebat, (cf. c. XI, 13.) ut infrenis per campos silvasque vagaretur, comitante tamen equisonum cohorte. Quod si per annum integrum a nemine prehendi potuisset, tunc purus et aptus ad litandum censebatur. — Comparato hoc disticho cum exordiis c. XI et XII., attento lectori duo anni in apparatu sacrificii consumpti videbuntur. Vix tamen admitti potest, hanc poëtae mentem fuisse. Regem, prolis adipiscendae cupidum, sacrificii decreti celebrationem ultra necessitatem distulisse quis credet? Anno integro quidem opus erat propter equi probationem; idem temporis spatium ad reliquum apparatum facile sufficiebat. Monui in praefatione ad priorem huius voluminis partem, p. LVIII., interpolatorum manum in his capitibus vehementer grassatam esse, ita ut versus quadraginta, a Bengalis pariter repudiati, fuerint eiiciendi. Confusa temporum computatio, nisi fallor, interpolationis residua quaedam pars est. Rishyasringas, paullo ante arcessitus, per aliquot menses in aula Dasarathae commoratus fuerat. Vere ineunte deinde, anni initio, quod Indi circa aequinoctium vernum ponebant, apparari coeptum est sacrum, vere proximo celebrandum. In c. XI et XII. unius anni res gestae narrantur. Latet ergo mendum in exordio c. XII, cui tamen medelam afferre non ausus sum, quia omnes, quotquot evolvi, codices eadem confusione laborant. Bengalica recensio evitat modo in c. XIII. primo versu disertam

Digitized by Google

2. manae insignes, primo honoris loco Rishyasringae con-
cesso, rem divinam curabant in praestantissimo hoc regis
3. magnanimi sacrificio. Voluminum divinorum periti sacrifici
4. in caeremoniis rite secundum praecepta procedere. Igne
sacro accenso et reverenter salutato, omnem ritum expia-
5. torium pro mactatione animalium peregerunt 3). Deinde
hi vates, succo asclepiadis acidae extrito 4), laeti se ac-
cinxerunt ad caeremonias perficiendas, quarum prima
6. erat lustratio matutina; porro Indrae destinata portio data
est, et sanctus rex laudibus celebratus, meridiana quo-
7. que lustratio iusto tempore facta; denique tertiam regis
magnanimi lustrationem fecerunt pariter Brachmanum pri-
8. mores, praeceptis religiose observatis. Rishyasringas ce-
terique Superos, inter quos summum locum obtinet In-

---

temporis mentionem, et substituit hanc sententiam: *Equo post orbem circumambulatum reduce* etc.; qua mutatione re vera nihil corrigitur.

3) Quum sacrificium equinum iam olim in desuetudinem abierit, haud sane mirum est, commentatores ignorasse θρησκείας μυρίας cum eo coniunctas, quae hic memorantur. Vix quicquam nominibus obsoletis apponunt, nisi hoc: significari caeremoniam aliquam peculiarem. Itaque nihil supererat, quam ut vocabula Sanscrita aut transcriberem, aut divinando, etymologiae ope, explicarem. Certiora sunt exspectanda e Vedorum capitibus, quibus sacri huius praecepta traduntur, si quando in lucem ea prodierint. Tunc etiam cum fructu disceptare licebit infinitam paene lectionis varietatem; quam quidem, ubicunque in dictione subsistit, rebus nihil mutatis, haud magnopere curo: hic vero de antiquissimis Brachmanum religionibus agitur.

4) Expressi lectionem veriorem *abhishutya* illius loco, quam e cod. A. receperam. Cf. WILS. et HAUGHT. LEX. s. v. *abhishava* et *abhishuta*.

Digitized by Google

dras, verbis solennibus invocarunt, voce modulata pronunciatis. Suavibus hymnis carminibusque canoris, sicuti 9.
decebat, offerebant sacerdotes coelicolis portiones laticis sacri igni infusas. Nulla ibi oblatio omissa est, nulla 10.
religio contaminata: omnia ad sacram disciplinam accommodata cernebantur; faustis sane auspiciis operati sunt.
Nemo istis diebus vel aerumna confectus visebatur, vel 11.
fame laborans; nihil non recreatum, ne inter bruta quidem, nedum inter ceteros animantes. Neque mulieres 12.
cognatis orbas, nec puerulos senesve, nec pauperes famelicos ibi citra satietatem curatos conspexisses. Ascetae 13.
epulabantur continuo, epulabantur mendici errones quoque; undique audiebantur hae voces: »Vos largimini! et vos epulamini! Dandus est cibus, danda sunt varii generis 14.
vestimenta;« ita compellati ministri indefessi iussa exsequebantur. Cernebantur plurimi ciborum cumuli, montium 15.
instar, nec non sorbitionum lacus in dies apparati. Advenae 16.
e terris peregrinis, mulierumque greges cibo ac potu abunde reficiebantur in principis magnanimi sacrificio. Brach- 17.
manum vero complura millia ad haec solennia convocati separatim vescebantur dapibus dulcibus variisque. E vasis 18.
aureis argenteisve, magno numero allatis, viri ordinis sui honestissimi cibum potumque subinde sumebant. Mini- 19.
strabant Brachmanis famuli cultu eleganti conspicui, cuncti alacres, inaures politas gemmatasque gestantes. Convivae 20.
hi dignitate praestantes laudare dapes tum varias, tum delicatas. Euge, saturi sumus! bene tibi sit! tales voces audiebat Raghuides. Tum in caeremoniarum intervallis 21.
Brachmanae facundi, sollertes, crebros sermones de rerum caussis instituebant, alter alterum vincendi cupidi 5).

---

5) Notari meretur publica haec de rerum natura disputatio

Digitized by Google

22. Quotidie ibi in sacrificio sacerdotes periti cunctas caeremonias peragebant e disciplinae sacrae praeceptis. Nullus
23. omnino Brachmana aderat in consessu regis, quin libros sacros penitus nosset, et sex doctrinas subsidiarias edidicisset; nullus aut irreligiosus, aut facundia destitutus.
24. Quum perventum esset ad erectionem columnarum, quibus hostiae alligari solent, allati sunt sex stipites *vilvorum*, sex *khadirorum*, totidemque *palâsorum*, porro
25. singuli trunci ficus glomeratae, arboris *slêshmaticae*, et pinus *dêvadârûs*, e quibus duo tam crassi erant, ut am-
26. borum brachiorum amplexum excederent. Omnes hae columnae affabre factae erant cura virorum, qui praecepta de sacris faciundis probe callebant, et ad magnificentiam
27. solennium augendam inauratae. Erant igitur columnae viginti una numero, altae viginti unius cubitorum, condecoratae aulaeis viceuis et uno singulatim distributis;
28. omnes iusto ordine dispositae, et a fabris firmiter solo infixae; octangulae pariter et tereti forma elaboratae.
29. Hae columnae, aulaeis inumbratae, floribus odoribusque cohonestatae, splendebant sicuti in coelo lucidum septem

---

in Brachmanum coetu, et fraternum quasi foedus theologiae cum philosophia; quum quarumlibet religionum sacerdotes parum plerumque philosophis favere, imo infensissimo odio eos interdum insectari, tum historia testetur, tum experientia nos doceat. Si quis forte tantam ingeniorum subtilitatem prisco aevo minime consentaneam arbitratur, audiat Manum dehortantem discipulos a lectione librorum philosophicorum, quibus doctrinae sacrae auctoritas convellatur. DH. S. II, 11. — Ceterum diversarum Râmeïdos recensionum codices pariter hoc distichon exhibent: habemus igitur testimonium fide dignissimum de antiquitate philosophiae apud Indos.

Digitized by Google

Sapientum sidus. Area ad mactandas hostias regi ordi- 30.
nata fuit a sacerdotibus peritis in formam aquilae, tri-
plici serie octonas denas scrobes sacrificales exhibentis 6).
Alligatae ibi erant hostiae, singulis numinibus destinatae, 31.
bestiae aquatiles, terrenae, et aërem pervagantes, volu-
cres aligerae, et quaecunque sunt ferae silvaticae, porro 32.
variae bestiae humi serpentes; variae herbae quoque erant
apparatae. Eligebantur nimirum e praeceptis sacris ani- 33.
malia quaeque sui generis capita; erant autem in univer-
sum trecentae hostiae columnis adstrictae. Stabat ibi 34.
equus generosus, lustratus cunctisque numinibus devotus,
quem Causalia versus dexteram circumambulatum sedulo 35.
cohonestavit sertis odoriferis aliisque ornamentis; tum
mactavit cum tribus ensibus summo cum gaudio 7). Deinde 36.

---

6) Descriptioni satis obscurae aliquid lucis affundere videtur Manus, dum eodem nomine alitis, quo Vishnus vehitur (*Garuda*), designat quoddam aciei genus, tenue a fronte et a tergo, in medio latissime expansum: DH. S. VIII, 187. et ibi CULL. BH. Attamen vel sic dispositionem scrobium non satis expedio. Alas aureas huic figurae tribui volunt, propter latereulos deauratos, quibus intus cinctae erant scrobes.

7) Ex hoc disticho sequentibusque luculentissime apparet, equum ipsum ceterasque victimas caesas et igni crematas fuisse. *Colebrookius* (AS. RES. VIII, p. 437 — 8.) in hanc sententiam inclinat, in sacrificio equino victimas alligari modo columnis, deinde incolumes dimitti oportuisse; et si quando caedes patrata fuerit, id contra Vedorum praecepta esse factum. Qua in re vereor, ne vir summus plus aequo concesserit interpretum recentiorum commento, cui ansam praebere potuit vel radicis BADH, *badhaté*, significatio duplex *necandi* et *vinciendi*; vel eiusdem et radicis cognatae BANDH, *badhnâti*, quae solam ligandi significationem admittit, homony-

Digitized by Google

Causalia prolis masculae desiderio mota, placida mente
37. unam noctem permansit apud alipedem mactatum 8). Sa-
crificus, antistes qui precationum verba pracibat, et hym-
38. norum cantor ad equum adduxerunt uxores Dasarathae
secundo ac tertio loco nuptas, ut reginae a latere essent.
39. Brachmanae, Rishyasringa praeeunte, dum regina equo
assidebat, laeti pia vota pro ea nuncupabant. Sacrorum
40. praesul, sensuum suorum coercitor peritissimusque, me-
dullam alipedis exemit et rite elixandam curavit. Huius
medullae nidorem rex interim naribus ducebat, piacula
41. sua iusto ordine, sicuti decebat, averruncans. Membra

---

mia in quibusdam formis inde deflexis ac derivatis. Scilicet conati sunt Brachmanae amoliri probrum, saepissime a Buddhae asseclis iactatum, multa sacra cruenta et crudelia in Vedis commendari; fortasse et ipsi, moribus mitigatis, caedem animalium, religionum caussa sive specie perpetratam, magis magisque aversabantur. Mihi potior est auctoritas Vâlmîcis identidem affirmantis, cuncta secundum librorum sacrorum praecepta accuratissime esse peracta. Video praeterea scholiastas passim ad hoc caput illustrandum Vedorum dicta laudantes, primis verbis transcriptis, ut solent; quin ab ipso poëta, in hemistichio primo Dist. 33., Vêdorum verba repetita deprehendere mihi videor. Si vel maxime in Vêdorum locis, quo Colebrookius respexit, verbum BADH vinciendi sensu accipi oporteret, tamen inde non foret arguendum, victimas nihil peius passas fuisse. Placuit enim pluribus populis euphemismus quidam in sacris cruentis designandis, puto, ne laeta deorum festa tristibus verbis polluerent. Eiusmodi verba solennia sunt in lingua Latina: *immolare*, *mactare*; in Sanscrita *prôxanam*, *sâmanam*; quibus deinde iugulandi notio adhaesit.

8) Quod equus hic simpliciter ales (*patatrin*) dicitur; id ex Vêdorum usu loquendi desumptum esse videtur.

Digitized by Google

equi, quotquot erant, singulatim dissecta et parata universi sexdecim sacrifici rite in ignem iniecerunt; ceterae 42.
victimae super lignis ficulneis cremabantur; uni equo focus e cannis *vetasis* erat exstruendus. E rituum disciplina sacrificium hoc equinum tridui spatio conclusum 43.
est. Primo eius die *chatushtomi* caeremonia celebrabatur; secundo loco *ucthium* numerabatur, tertio denique 44.
loco *pernoctatio*. Multa ibi solennia docte ex voluminum sacrorum praeceptis fuere disposita. In pernoctatione 45.
jyôtishtômum et *âyus* apparabantur, porro *abhijit* et *visvajit*, nec non *aptôryâmi* gravissimum sacrum 9). Sacrificio peracto hominum princeps, rex stirpis suae 46.
amplificator, orbem terrarum sacerdotibus dono dedit. Antistiti tribuit regionem orientis, amplam, dextrae vigore 47.
quaesitam; sacrifico autem regionem occidentalem, theologo australem, tum hymnorum cantori septentrionalem. 48.
Tali modo dispensata est largitio in sacrificio hoc equino omnium sanctissimo; a numine suapte vi existente olim constituto. Qua largitione facta laetus fuit faustus Ixvâ- 49.
cuides; sacerdotes vero universi allocuti sunt regem ab omni labe lustratum: Domine, te solum par est orbem 50.
terrarum sospitare; nobis nihil opus est agris, siquidem ad tuendum sumus inhabiles. Nos semper contenti sumus rerum divinarum studio, o rex: aliam mercedem 51.

---

9) Quae in Dist. 43—45., definitione destitutus, transcripsi caeremoniarum nomina, sunt obsoleta quidem, sed proba et genuina, sine dubio e Vêdis petita. Ad litteram expressa sunt: *chatushtôma*, quadruplex laudatio sive adoratio; *agnishtôma*, ignis adoratio; *jyôtishtôma*, siderum adoratio; *âyus*, aevum; *abhijit* et *visvajit* ad victorias reportandas vel reportatas spectant. De voce *aptôryâma* mihi non liquet.

Digitized by Google

52. qualemcunque dare nobis velis. Tunc rex decies centies
mille vaccas illis dedit, centum mille millia auri, argen-
53. tique pondus quadruplex. Sacerdotes vero consociati inter
se has opes obtulerunt Rishyasringae anachoretae et sa-
54. pienti Vasishthae. Donis acceptis Brachmanae hilari ani-
mo Dasaratham monuere, ut aliquod optatum commi-
55. nisceretur. At rex ad Rishyasringam conversus, Stirpis
meae incrementum, inquit, mihi impetrare velis, vir
56. sancte! Bis natorum praestantissimus ille regi annuit his
verbis: Nascentur tibi filii quatuor, stirpis tuae propa-
gatores.

CAPUT XIV.

RATIO NECANDI RAVANAE EXCOGITATA.

1. Prudens ille, voluminum sacrorum gnarus, respon-
sum quod dederat aliquamdiu meditatus, mente ad se
2. revocata regem denuo est effatus: Parabo tibi aliud sa-
crum, genitale, prolis masculae adipiscendae gratia, cum
carminibus in ATHARVANIS exordio 1) expressis rite per-

---

1) Vulgo notum est, a compluribus inde seculis *Atharvanem* Vêdis, tanquam quartam eorum partem accenseri coeptum esse, etiamsi auctores antiquissimi, ex. gr. *Manus* (I, 23.), et loquendi usus (*trayî*) tria modo volumina sacra agnoscant. Idcirco nonnulli viri docti in dubium vocavere fidem huius libri, quasi foret serioris aevi foetus. Quam suspicionem *Colebrookius* (As. Res. VIII, p. 444. 463. sqq.) a maxima Atharvanis parte amovit, quantum ad antiquitatem. Sed dubitari potest, an

Digitized by Google

agendum. Tum coepit modestus Vibhândaci filius, regis 3.
commodis intentus, parare sacrum, quo eius desiderium
expleret. Iam antea eo convenerant, ut suam quisque 4.
portionem acciperent, Dî cum fidicinum coelestium cho-
ris, Beatique cum Sapientibus; BRACHMAN Superûm regna- 5.
tor, Sthânus, nec non augustus Nârâyanus, Indrasque
almus, coram visendus Ventorum cohorte circumdatus, 6.
in magno isto sacrificio equino regis magnanimi. Ibidem
vates ille deos, qui portiones suas accipiendi gratia ad-
venerant, apprecatus, En! inquit, hicce rex Dasarathas 7.
filiorum desiderio castimoniis adstrictus, fidei plenus, ve-
strum numen adoravit sacrificio equino. Nunc iterum 8.
accingit se ad aliud sacrum peragendum: quamobrem
aequum est, ut filios cupienti vos faveatis. Ille ego, qui 9.
manus supplices tendo, vos universos pro eo apprecor:
nascantur ei filii quatuor, fama per triplicem mundum
clari. Divi supplicem vatis filium invicem affari: Fiat 10.
quod petis! Tu nobis, vir sancte, imprimis es veneran-
dus, nec minus rex ille; compos fiet voti sui egregii ho- 11.
minum princeps. Ita locuti Dî, Indra duce, ex oculis
evanuerunt.

---

pari dignitatis loco cum prioribus Vêdorum libris Atharvan olim sit habitus. In hac quaestione diiudicanda aliquod pondus habere debet Vâlmîcis testimonium. *Manus* quidem (XI, 33.) Atharvanis mentionem iniicit, eodemque nomine quo Vêdos (*sruti*) librum designat; sed ibi agitur de divis inimico imprecandis. Apud nostrum vero carmina ad litandum apta ex Atharvane petuntur. Ceterum hic versus legitur in omnibus codicibus, qui commentatorum recensionem exhibent, et in cod. T. — Bengali eum expunxere; iidem praecedens quoque caput, tum magna caeremoniarum parte omissa, tum pravis additamentis, foede interpolarunt.

Digitized by Google

12. Superi vero, legitime in concilio congregati, BRACH-
13. MANEM mundi creatorem his verbis compellarunt: Tuo
munere auctus, o Brachman! gigas nomine Râvanas, prae
superbia nos omnes vexat, pariterque Sapientes castimo-
14. niis gaudentes. A te propitio olim ex voto ei hoc munus
concessum fuit, ut ne a diis, Danuidis, Geniisve necari
15. posset. Nos, oraculum tuum reveriti, facinora eius qua-
liacunque toleramus. At ille gigantum tyrannus ternos
16. mundos gravibus iniuriis vexat. Deos, Sapientes, Genios,
Fidicines coelestes, Titanes, mortales denique, exsuperat
17. ille aegre cohibendus, tuoque munere demens. Non ibi
calet Sol, neque Ventus prae timore spirat, nec flagrat
18. ignis, ubi Râvanas versatur. Ipse Oceanus, vagis fluctibus redimitus, isto viso stat immotus; eiectus fuit e sede
19. sua Cuvêrus, huius robore vexatus. Ergo ingens nobis
periculum imminet ab hoc gigante visu horribili; tuum
20. est, alme Parens! auxilium parare, quo hic deleatur. Ita
admonitus ille a diis universis, paulisper meditatus, Ehem!
inquit, hancce inveni rationem nefarium istum necandi.
21. Petierat is a me, ut a Gandharvis, a Geniis, a Divis, Danuidis Gigantibusque necari non posset, et me annuente
22. voto suo potitus est. Prae contemptu vero monstrum
illud homines non commemoravit: ideo ab homine est
necandus; nullum aliud exstat leti genus, quod ei sit fatale.
23. Postquam audiverant gratum hunc sermonem BRACHMANIS
ore prolatum, Dî cum duce suo Indra summopere gau-
24. dio erecti sunt. Eodem temporis momento Vishnus istuc
accessit, splendore insignis, concham, discum et clavam
25. manibus gestans, croceo vestitu, mundi dominus; vulturis Vinateii dorso, sicuti sol nimbo, vectus, armillas ex
auro candente gerens, salutatus a Superûm primoribus.
26. Quem laudibus celebratum reverenter Dî universi compel-

Digitized by Google

larunt: Tu animantium afflictorum es vindex, Madhûs
interfector! quamobrem nos afflicti te apprecamur: sis 27.
praesidio nobis numine tuo inconcusso. Dicito, inquit
Vishnus, quid pro vobis facere me oporteat. Audito eius 28.
sermone, Dî hunc in modum respondent: Rex quidam,
nomine Dasarathas, austeris castimoniis sese castigavit,
litavit sacrificio equino, prolis cupidus et prole carens. 29.
Nostro hortatu tu, Vishnus, conditionem natorum eius
subeas; ex tribus eius uxoribus, Pudicitiae, Venustatis et 30.
Famae similibus, nasci velis, temetipsum quadrifariam
dividens. Ibi tu in humanam naturam conversus Râva- 31.
nam, gravissimam mundi pestem, diis insuperabilem, o
Vishnus! proelio caede. Gigas ille vecors Râvanas Deos 32.
cum Fidicinum choris, Beatos et Sapientes praestantissi-
mos vexat, audacia superbiens. Etenim ab hoc furioso 33.
Sapientes, Fidicines et Nymphae, ludentes in Nandano
viridario, sunt proculcati. Tu es nostrum omnium summa 34.
salus, divine bellator! Ut deorum hostes exstinguas, ad
sortem humanam animum converte. Augustus ille Nârâya- 35.
nus, diis hunc in modum coram hortantibus, eosdem
apto hoc sermone compellavit: Quare, quaeso, hac in re 36.
negotium vestrum a me potissimum, corporea specie pa-
lam facto, est peragendum? aut unde tantus vobis terror
fuit iniectus? His verbis a Vishnû interrogati Dî talia 37.
proferre: Terror nobis instat, o Vishnus! a Râvana mundi
direptore; a quo nos vindicare, corpore humano assum- 38.
pto, tuum est. Nemo alius coelicolarum praeter te hunc
scelestum enecare potis est 1). Nimirum ille, o hostium 39.

1) Patet hinc, ea aetate, qua haec ficta sunt, Vishnui soli facultatem tributam fuisse naturam humanam induendi, neminemque adhuc de Sivae *incarnationibus*, recentiorum figmentis, somniasse.

Digitized by Google

domitor! per diuturnum tempus sese excruciaverat severissima abstinentia, qua magnus hicce rerum Parens pro-
40. pitius ipsi redditus est. Itaque almus votorum sponsor olim ei concessit securitatem ab omnibus animantibus,
41. hominibus tamen exceptis. Hinc illum, voti compotem, non aliunde quam ab homine necis periculum urget: tu
42. ergo, humanitate assumpta, eum interfice. Sic monitus Vishnus, Superûm princeps, quem mundus universus ado-
43. rat, magnum Parentem ceterosque deos, in concilio congregatos, recti auctores, affatur: Mittite timorem; bene
44. vobis eveniat! Vestrae salutis gratia, postquam proelio necavero Râvanam cum filiis nepotibusque, cum amicis,
45. ministris, cognatis sociisque, crudelem istum aegre cohibendum, qui divinis Sapientibus terrorem incutit, per decem millia annorum decies centenis additis, commorabor in mortalium sedibus, orbem terrarum imperio regens.
46. Tum divini Sapientes et Fidicines coniuncti cum Rudris Nympharumque choris celebravere Madhûs interfectorem hymnis, quales sedem aetheriam decent.

47. »Râvanam illum insolentem, acri impetu actum, superbia elatum, Superûm hostem, tumultus cientem, bonorum piorumque pestem, humanitate assumpta pessumdare tuum est.«

Digitized by Google

CAPUT XV.

NECTARIS APPARATUS.

Quum talem in modum divinus Vishnus provida 1.
mente diis opem suam spopondisset, deliberavit de solo
genitali in utero humano, quod sibi aptum foret. Deinde 2.
ille, cuius oculi blando lumine loti folia referunt, semet
ipsum quadrifariam dividens, patrem sibi elegit regem
Dasaratham. Eodem tempore illustris ille princeps, ho- 3.
stium debellator, prole mascula orbus, parabat sacrum
genitale, quo prolem nanciscerctur. Vishnus, consilio 4.
capto, et venia abeundi a magno Parente petita, e con-
spectu evanuit, reverenter salutatus a Diis Sapientibusque.
Istic autem, dum ille litabat, ex igne lustrali coram emi- 5.
cuit splendidissimum animal, ingenti vi et vigore con-
spicuum, fuscum, purpureo amictu indutum, ore purpu- 6.
reo, voce tympani instar gravi, cuius pili, barba et pro-
fusa caesaries mansueti leonis iubam referebant; faustis 7.
notis insigne, aetherio cultu ornatum, montis cacumen
celsitudine aequans, trucis tigridis incessu gradiens, gem-
marum stellantium cumulo, et igni ardenti simile; ambo- 8.
bus brachiis librans pateram amplam ex auro fulgido cae-
latam, argentea ora inclusam, divini nectaris plenam:
quasi sponsam amatam, ipsam quoque ambigua imagine 9.
oculos fallentem. In regem Dasaratham intuens his ver- 10.
bis eum affatur: Scias, o rex! me hominem a magno re-
rum Parente genitum huc advenisse. Tum rex, aulicis 11.
circumdatus, supplex respondet: o Sancte! salve mihi
hospes! Quid a me tui gratia est faciendum? At homo 12.
a magno Parente genitus, denuo hanc orationem orsus

Digitized by Google

13. est: Hodie, o rex! pietatis erga deos fructus a te capitur; accipe, principum praestantissime! hocce nectar a
14. diis apparatum, genitale, opiparum, corpori salubre. Hoc tu uxoribus te dignis ebibere iussis largire; impetrabis ex
15. iis filios, quorum caussa tu sacris operaris. Rex, Euge! exclamans, accepit capitique suo imposuit pateram auream,
16. divini potus plenam, a diis datam; ac mirabile istud animal, suave adspectu, venerabundus, summo gaudio affe-
17. ctus, versus dexteram circumambulavit. Tunc illud visu mirabile fulgentissimumque prodigium ibidem ex oculis
18. evanuit. At Dasarathas, nectar a diis paratum nactus, summopere laetus fuit, haud secus quam homo egenus, qui
19. subito divitias nactus foret. Aula eius radiis gaudii illuminata esse videbatur, sicuti coelum radiis candidae lunae
20. autumnalis. Ille, quum in gynaeceum intrasset, ad Causaliam conversus, Accipe, inquit, hocce nectar tibimet
21. ipsi genitale. Quibus dictis rex Causaliae dedit dimidium nectaris; Sumitrae quoque dimidiam partem alterius di-
22. midii dedit; Cêceïdi denique, filium ex ea gignendi gratia, dedit partis residuae dimidium. Tum terrae domi-
23. nus, re denuo perpensa, reliquam partem potus ambrosiae aequiparabilis Sumitrae obtulit. Hunc in modum rex
24. uxoribus suis singulatim nectar istud distribuit, quod nactae praestantissimae principis coniuges spem prolis cunctae conceperunt, animis gaudio elatis.

25. Deinde feminae, epoto hilariter latice sacro, quem rex ipse iis suppeditaverat, splendore Igni Solique simi-
26. les, ex ordine foetus faustos utero concepere. Rex autem, intuens in uxores praegnantes mente serenata laetus fuit, veluti Indras, quando a Superûm, Beatorum Sapientumque coetu adoratur.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Simiorum procreatio.

Vishnû vero ad conditionem filiorum regis magna- 1.
nimi transgresso, protinus almum Numen primigenum
deos convocatos alloquitur: Vishnui, fido promissorum 2.
servatori, forti, omnium nostrum salutis studioso, crea-
tote certaminum socios transformia corpora habentes,
praestigiis habiles, intrepidos, procellam velocitate ae- 3.
quantes, rebus agendis aptos, sollertia praeditos, Vish-
num vigore aemulantes, nullis laqueis capiendos, doli 4.
gnaros, aetheria corpora indutos, omnium telorum vi in-
structos, perinde ac deos qui ambrosia vescuntur. E Nym- 5.
phis praecipuis, e Gandharvarum corporibus, e Geniorum
et Anguium puellis, Aligerabusque; nec non ex Hippo- 6.
cephalarum et Simiarum feminarum corporibus creatote
filios Simiorum specie, vestrum ipsorum vigorem aemu-
lantes. Sic olim a me creatus est Jâmbhuvantes, urso- 7.
rum princeps: ex ore meo oscitantis subito is processit.
Ita compellati ab almo Parente illi, iussa se perfecturos 8.
esse polliciti, generavere filios simiorum specie. Divi, 9.
Sapientes, Fidicines, Praepetes, illustres Genii, Prae-
conesque procrearunt natos masculos, silvicolas; Angues 10.
porro, Hippocephali, Beati, Aligeri, Serpentesque fre-
quentes alacriter generavere prolem innumerabilem. In- 11.
dras genuit Bâlinem, simiorum principem, Mahêndro monti
similem; Sol, ferventissimum sidus, Sugrîvum; Vrihaspa- 12.
tes autem genuit ingentem cercopem nomine Târum, in-
ter omnes Simios ingenio praestantem. Cuvêri, divitia- 13.

Digitized by Google

rum datoris, filius exstitit faustus Gandhamâdanus; tum
Visvacarman, deorum faber, genuit ingentem cercopem
14. nomine Nalum. Ignis filius faustus Nîlus, flamma instar
fulgens, splendore et gloria ob virtutem ipsum Ignem
15. antecellebat. Asvini gemelli, forma et agilitate praediti,
ex sese procreavere Maindam et Dvividam, propter for-
16. mam laudatos. Varunas genuit simium nomine Sushênum;
17. IMBER 1) vero, deus potentissimus, Sarabhum. Aëris pro-
les genuina fuit faustus simius, Hanumantes nomine, qui
fulgur corpore suo referebat, Vinateio vulturi (*Garudae*)
18. velocitate par. Tales ad multa millia creati sunt a diis,
Râvanae decemcipitis necem cupientibus, simii immani ro-
19. bore praediti, formam ad arbitrium mutantes. Tales ursi,
simii et *boosuri*, (boum more caudati cercopes) elephan-
tos ac montes statura aequantes, leoninis corporum ner-
20. vis, confestim propagabantur. Uniuscuiusque dei quae
forma est propria, quae vis, quae virtus, harum similis
21. cuique natus proveniebat. Nonnulli quoque simii forti-
tudine eminentes editi sunt ex utero boosurarum, ursa-
22. rum et hippocephalarum. Cuncti saxorum iaculatores,
cuncti arbores pro hastis gestantes, cuncti unguibus den-
23. tibusque armati, et omnium telorum periti: quales vel
montium iuga quassare valerent, diffindere solidos trun-
24. cos, ciere impetu suo Oceanum ipsum, fluviorum domi-
num, dirumpere terram pedibus, ingentia freta transilire,
25. scandere verticem aetherium et nubes pugnis corripere;
valerent quoque corripere elephantos furiatos in silvis va-

---

1) Imber (*parjanya*), quasi Iupiter Pluvius, plerumque confunditur cum Indra. AM. CO. *ed. Col.* p. 333. Peculiare hoc est Vâlmîci, quod utrumque distinguit, Indra paullo ante commemorato.

Digitized by Google

gantes, mugitibusque suis attonitas volucres ex aëre praecipitare. Talium simiorum versipellium, magnanimorum 26.
agminis ducum, centies centena millia sunt generata. Hi 27.
primores inter praecipuos simiorum greges agminum ductores fuere, aliosque porro generavere fortes simios. Ex 28.
iis quidam silvicolae ursorum regem secuti sunt, variosque inde montes et imperia saltuum tenuere. Sugrîvo 29.
autem Solis nato, et Bâlini Indrae nato, fratribus *uterinis*,
universi simiorum principes sese adiunxere. Ili, vultu- 30.
rum impetu praediti, certaminum periti, huc illuc vagantes, leones, tigrides et immanes serpentes lacessebant. 31.
Universos tum ursos, tum *boosuros* simiosque fortissimus
Bâlines, validis lacertis praeditus, tuebatur brachiorum
suorum robore. Orbis hicce terrarum, montibus fretis- 32.
que distinctus, plenus fuit eiusmodi bellatorum, diversas
sedes incolentium, varia specie insignium.

Hisce simiis, agminum ductoribus, validis, nubium 33.
congeriem montesve statura aequantibus, visu horrendis,
terra undique frequentata est, ut Râmae socii praesto 34.
forent.

CAPUT XVII.

Rishyasringae reditus.

At sacrificio isto equino magnanimi principis con- 1.
summato, Dii, suam quisque victimarum partem expeti-
tam nacti, eodem profecti sunt, unde advenerant. Vates 2.
quoque magnanimi domum rediere honore affecti, nec

Digitized by Google

3. non reges, qui ad sacra celebranda convenerant. Tum
rex Dasarathas hos discessuros benigno animo in commune
4. cohortari coepit: Commode proficiscamini, populorum
domini! quisque in regnum suum. Equidem bene vobis
5. volo: salvete, et votis brevi potimini! Vos omnes, viri
honestissimi, dispicite quid opus sit ad ditionem vestram
tuendam; etenim rex, ditione sua eiectus, mortui instar
6. habetur. Quisquis igitur gloriam cupit, sedulus esse debet
in tuenda ditione: non tam sacrificiis sedes apud Superos
7. quaeritur, quam hoc munus obeundo. Plane ut homo
quilibet curam diligentem adhibere solet corpori suo ve-
stitu ceterisque praesidiis instruendo, sic regem pro im-
8. perio facere oportet. Tum in futuros eventus regibus
res sunt ordinandae, tum praesenti quoque tempori con-
9. sulendum, ne quid pravi subnascatur. Talibus monitis
rex reges cohortatus est, quibus auditis mutua fide ob-
10. stricti versus diversas coeli plagas discessere. Deinde
Dasarathas, lustralibus votis exsolutus, uxorum suarum
11. cohorte circumdatus, animo exhilarato, postquam reges
abierant, cum famulis, militibus, vehiculisque faustus ur-
bem intravit, sacerdotibus eximiis in fronte agminis col-
12. locatis. Post aliquantum temporis Rishyasringas, valde
honoratus, iter ingressus est cum Sânta temperantibusque
13. Brachmanis. Prosequebantur eum rex prudens cum co-
14. mitatu suo, doctus Vasishthas, et urbis regiae cives. Sânta
insidens carpento ingenti, veste sragula velato, candidis
15. bubus iuncto, famulorum cohorte cincto; dotata multis
opibus, tum gemmarum copia, tum caprarum et ovium
gregibus; ornata quoque vario mundo muliebri perinde
16. atque altera Fortuna, summo cum gaudio profecta est,
femina generosa, coniugi suo dedita sicuti Paulômis In-
17. drae, urbium quassatori. Quum iucunde ibi commorata

Digitized by Google

esset, omnibus deliciis affluens, officiose culta a cogna-
tis, praesertim a feminis regiis, nunc a marito edocta, 18.
in silva esse habitandum, illa facie decora insignis vel
vitam silvestrem laudat, sorte sua nihilominus contenta.
Rex quoque cum aulica cohorte prosecutus est egregium 19.
vatis filium severissimae sanctitatis, natamque suam ve-
nustam. Tunc ex mandato Rishyasringae habitatione sil- 20.
vestri praeparata, gratum hospitium reliquerunt, omnibus
copiis domesticis honorifice instructi. Deinde vatis filius 21.
gravitate pollens regem convenit, et comiter eum admo-
nuit, ut domum reverteretur. Cuius dicto audito rex in 22.
fletum et in lamenta effusus his verbis compellavit Cau-
saliam, Sumitram, claramque Cêcêïdem: Vos omnes in- 23.
tentis oculis Sântam intuemini, haud facile in futurum
vobis visendam! At illae pariter Sântam amplexatae, ocu- 24.
los lacrimis suffusae, vota nuncuparunt pro incolumitate
Brachmanae et uxoris eius. »Ventus et Ignis et Luna, 25.
Tellus, Amnes, coelique plagae in silva te perpetuo custo-
diant, coniugis tui religionibus addictam. Socer a te co- 26.
lendus est, utpote imprimis venerabilis, ignium sacrorum
ministerio, et quae alia sunt eiusmodi. Maritus quoque 27.
a te colendus est, omnis labis expers puella, tum in qua-
libet vitae conditione, tum blandis in secreto sermonibus;
maritus sane mulierum est numen. Rex autem assidue 28.
Brachmanas ad te mittet, qui inquirant utrum valeas:
noli unquam, optima filiola! animum despondere.« Tali- 29.
bus Sântam consolatae et in fronte haud semel deoscu-
latae, protinus cunctae mulieres a rege admonitae domum
rediere. Ipse heros, iuvene sancto versus dexteram cir- 30.
cumambulato, delegit aliquot militum suorum turmas,
quae prudentem Rishyasringam comitarentur. Bis nato- 31.
rum optimus contra, rege salutato, Bene tibi sit! inquit,

Digitized by Google

rex potentissime! Fac ut iustitia subditos tibi concilies.
32. His dictis vatis filius profectus est, quem abeuntem rex
ibidem subsistens luminibus immotis prosecutus, tum de-
33. mum, quum ille non amplius cernebatur, reverti coepit,
mente tamen propter caritatis affectum in illo defixa.
34. Redux in urbem suam regiam, et civium bonis votis ex-
ceptus, permansit ibi laetus, filiorum natales exspectans.
35. Interea illustris Rishyasringas sensim processit ad Lômapâdi urbem CHAMPAM, arboribus *champacis* quasi corona
36. cinctam. At Lômapâdus, quamprimum de vatis adventu
certior factus fuerat, cum Brachmanis ac ministris obviam
37. ei occurrens, Salve, ait, bis natorum optime! Fausta
sorte id mihi contigit, ut tu, vir egregie, cum uxore co-
38. mitibusque incolumis huc redires. Pater tuus bene valet;
idem assidue nuntios huc misit, quibus certior fieret, an
tu, vir venerande, et uxor tua praecipue, recte valeretis.
39. In honorem Rishyasringae rex prudens prae laetitia ur-
40. bem festo apparatu ornandam curaverat. Rishyasringas
et ipse laetus cum rege simul, antistite domestico prae-
41. eunte, imperii sedem intravit. Ibi deinceps commora-
batur generosus vatis filius, a rege aulicisque pro cuius-
que conditione honorifice habitus.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

RISHYASRINGAE DISCESSUS IN SILVAM.

Post Rishyasringae adventum rex Brachmanae cuidam 1.
haec mandavit: Vade age ad sedem vatis, nuntia sancto 2.
Casyapidae, filium eius sanctum, generosae indolis, qua-
lem haud facile quis nanciscatur, huc rediisse. Mea vice 3.
veneratus capite demisso bis natorum optimum, propitium
mihi redde filii gratia, sicuti iam a me fieri coeptum est. 4.
Quo regis sermone audito vir honestus illuc se contulit,
ubi Casyapides versabatur; tum precatus vatem sanctissi- 5.
mum ut sibi faveret, et capite demisso veneratus, ordi-
tur modestam orationem a rege ipsi mandatam: Filius 6.
tuus clarissimus ad nos rediit, peracto sacrificio regis Da-
sarathae, soceri sui magnanimi. Tali nuntio ex ore Brach-
manae accepto vir celebratissimus consilium cepit de iti- 7.
nere ad urbem, ut filium inde secum ad secessum abdu-
ceret. Eo igitur profectus est discipulis circumdatus bis 8.
natorum optimus, propter sanctitatem omnimodo honora-
tus a rusticis pastorumque coetibus. Vulgo accurrere 9.
homines, commeatuum copiam dono offerentes, et capite
demisso eum percunctari: Quid, o anachoreta, facere nos
tibi oportet? Ille vatum princeps omnes, qui convenerant, 10.
affatus: Cur, inquit, hic mihi honos habetur? Id certo
cognoscere cupio. Responderunt magnanimo: Dominus 11.
noster tuus est affinis; huius iussa exsequimur. Omnem
aegritudinem animo pelle. Quorum sermone animum re- 12.
creante ac fausto audito, ille tum pro rege, tum pro eius
ministris et urbe bona vota nuncupavit. Famuli nonnulli, 13.

Digitized by Google

laetitia affecti, festinanter abiere, ut regi Vibhândaci dicta
14. referrent, utpote gratum nuntium allaturi. Quibus com-
pertis rex obviam ei procedens, comitante antistite dome-
15. stico, pateram hospitalem manu tenens accurrit. Viso
autem anachoretarum principe, iterum iterumque venera-
tus, rex potentissimus Vibhândacum his verbis alloquitur:
16. Hodie natalium meorum fructum percipio e tuo conspe-
ctu, vir sancte! *Oro te, ne mihi propter filium dolo ab-*
17. *ductum succenseas.* Brachmana praestantissimus sermo-
nem regis comprobans, Noli timere, inquit, domine!
18. propitius tibi sum propter probitatem tuam. Inde gau-
dio affectus princeps, praeeunte vate, ad urbem accessit,
19. faustus et auspicatissimis vocibus exceptus. In praesen-
tia tanti viri adstabant cives universi manibus suppliciter
20. iunctis, debita reverentia denuo eum salutantes. Tum
mulieres aulicae Sântam eleganter ornatam ad Brachma-
nam deduxerunt, nomine prolato dicentes: En tibi, ho-
21. norum dator, nurum tuam! Pius ille, Sântam benigne
exceptam amplexus et sinu fovens, ad summam admira-
22. tionem raptus est. Puella e gremio eius surrexit, et se-
nem venerata, deinde manibus suppliciter iunctis ad latus
23. soceri sui constitit. Bis natorum optimus vero, postquam
sacrum lustrale 1) pro filio fecerat, honoratus a sapien-
tibus simul cum filio in silvam abiit.

---

1) Opus erat eo propter legem violatam, qua Brachmanae puellam e stirpe regia sive militari primo loco uxorem ducere vetabantur.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Dasarathidarum natales.

Post peractum sacrificium anni orbis sex tempesta- 1.
tibus expletus est; tum duodecimo mense *Chaitro*, die
nono, sub domo lunari cui Aditis patrona praeest, quin- 2.
que stellis ad fastigium orbis sui sublatis; in signo Can-
cri Iovis stella cum Luna simul oriente 1): Causalia partu 3.

---

1) Aequinoctium vernum tanquam Râmae diem natalem sine dubio indicare voluit poëta. Mensis *Chaitrus* enim est prior e binis qui veri assignantur; respondet posteriori parti Martii et priori Aprilis secundum nostram anni ordinationem. *Aditis*, deorum mater, est patrona septimae domus lunaris, proprio nomine *Punarvasu* dictae. Quinque planetae eorumque stationes in Zodiaco ab utroque commentatore hunc in modum enumerantur: Sol in Ariete; Mars in Capricorno; Saturnus in Libra; Iupiter in Cancro; Veneris stella in Piscibus. Hactenus ad verbum reddidi, quae in ipso carmine et in scholiis leguntur; ad astronomicas vero rationes ea exigenda relinquo viris doctis, qui *coeli meatus describunt radio et surgentia sidera dicunt.* Videant astronomi, an singulae huius descriptionis partes satis inter se congruant; porro, si hoc erit concedendum, deducant inde, utinam, temporum computationem. Indi quidem Râmae nativitatem in confinio aetatis secundae (*trétâ*) et tertiae (*dvâpara*) ponunt: sed hoc sensu allegorico accipiendum esse videtur. Si vero ad antiquam rerum memoriam respicimus, mythicis amplificationibus detractis, poëta id tempus innuisse putandus est, quo proxime ante ipsius aetatem talis fuerat siderum aspectus. Hunc Râmae horoscopum codices commentariis instru-

Digitized by Google

edidit mundi dominum, ab universis animantibus adora-
4. tum, Râmam, divinis notis insignitum. Quo nato immen-
sae maiestatis gloriabatur Causalia, haud secus atque Adi-
5. tis Superûm principe, fulminum iaculatore. Etenim is,
puer Lotophyllops, ad salutem animantium et ad Râva-
nae necem e dimidio essentiae Vishnûs procreatus erat.
6. Cêceïs enixa est filium vere fortem, Bharatam nomine,
cunctis virtutibus praecellentem, in quo quarta Vishnûs
7. pars coram visebatur. Porro Sumitra peperit filios ge-
mellos, Laxmanum et Satrughnam, fidos in obsequio,
magnis conatibus pares, parte aliqua Vishnûs dotatos.
8. Bharatas autem, placidae indolis puer, natus est sub
octava domo lunari, quae PUSHYA dicitur, sub Piscium
signo; Sumitridae denique nati sunt sub nona domo lu-
nari, Serpentum propria, dum Sol in Cancro oriebatur 2).
9. Sic nati sunt singulatim regi quatuor filii magnanimi,
virtutibus praediti ipsique similes, nitore quaternas stellas
10. sideris *Prôshthapadi* aemulantes. Cecinere dulces modos
coelitum Fidicines, tripudiavere Nympharum chori, inso-
nuere tympana coelestia, et florum imber ex aethere de-
11. cidit. At in urbe Ayôdhya ingens festum celebrabatur
summa populi frequentia. Plateae, quamvis amplae, turba
hominum ac saltatorum mimorumque gregibus oppletae,

---

cti et cod. T. sine ulla lectionis varietate exhibent; Bengali, nescio qua de caussa, eum omiserunt.

2) *Pushya* mensis quoque alicuius nomen est; sed hic intelligenda octava domus lunaris. Nona proprio nomine dicitur *asléshâ*. — Patet hinc, Bharatam, etiamsi eius natales prius quam gemellorum narrantur, minimum natu inter quatuor fratres fuisse, undecim mensibus Râma iuniorem; Sumitridas contra tertio mense post eundem natos.

Digitized by Google

cantibus nec non variis organis resonantes, nitebant ubique 12.
rebus pretiosis cuiuscunque generis instructae. Rex fecit 13.
largitiones aurigis, praeconibus, panegyristis; dedit Brach-
manis opes et multa vaccarum millia. Post undecimum a 14.
cuiusque natalibus diem Nominalia celebravit: magnani-
mum filium natu maximum Râmam dixit; e Cêceïde ge- 15.
nitum, Bharatam; Sumitridem, Laxmanum, eiusque fra-
trem natu minorem, Satrughnam. Hunc in modum Va-
sishthas summa cum laetitia nomina singulis imposuit.
Inter hos quasi vexillum eminebat Râmas natu maximus, 16.
patris deliciae; ab omnibus naturis Numinis primigeni
instar habitus. Omnes hi Dasarathae filii voluminum sa- 17.
crorum gnari fuere; animosi; omnes in salutem publicam
intenti, omnes doctrina instructi, omnes virtutibus prae-
cellentes. Ex his tamen illustris Râmas, vere fortis, ne- 18.
mini non maxime placebat, sicuti luna nebularum immu-
nis. Elephantorum cervice, equorum dorso vectus, et 19.
in curru aurigando laudabatur; artis sagittandi erat stu-
diosus, praecipue autem patris obsequio gaudebat. Ab 20.
infantia inde semper admodum carum habebat Laxmanum,
bonae fortunae amplificatorem, frater eius natu maior,
generis humani deliciae; Laxmanus quoque, fortuna fa- 21.
vente natus, cuncta ministeria grata Râmae praestabat,
quasi esset altera anima, extra eius corpus posita. Neque 22.
hominum optimus sine isto unquam somno indulgere,
nec nisi eodem socio dulcem cibum ipsi paratum capere
solebat. Quandocunque Râmas equo conscenso venatum 23.
exibat, a tergo eum sequebatur Laxmanus, arcum gestans,
et ad custodiam intentus. Sicuti Râmae Laxmanus, pari- 24.
ter Bharatae quoque frater Satrughnas erat ipsa vita ca-
rior. Hi omnes, fama celebrati, mutuo affectu inter se 25.
iuncti, patris animum delectabant, tum modestia sua, tum

Digitized by Google

26. virtute mascula. Cum quatuor hisce filiis ta
indolis rex Dasarathas plane referebat specien
rentis, mundi custodibus circumdati.

CAPUT XX.

VISVAMITRAE ADVENTUS.

1. Postea rex Dasarathas, recti studiosus,
rerum divinarum magistris cognatisque de n
2. trimonio consilia agitare coepit. Eodem aut
magnus vates, Visvâmitrae 1) nomine clarus,
3. invisendum in urbe Ayôdhya populorum princi
viri religiosi ac sapientis nimirum sacrificium
pediebatur, ut traditum est, a gigantibus, pra
4. dacia et robore insolentibus. Cuius sacrificii
tia regem invisere cupiebat anachoreta, qu
5. nullo modo sine impedimento litare valebat
igitur regem adeundi, compellavit ianitores custodiae praepositos: Nuntiate regi, me, Gâdhis filium, advenisse.
6. Sermone eius audito, omnes vehementer commoti ad re-
7. gis cubiculum properare, tali mandato exciti. Atrium regale ingressi, inclinato corpore adstantes nuntiarunt do-
8. mino, advenisse magnum anachoretam Visvâmitram. Tum rex Dasarathas cum ministris suis et antistite domestico

---

1) Visvâmitrae fata et res gestae fuse narrabuntur huius libri cap. LI — LXV. Pariter ac Vasishthas inter vates Vêdorum auctores refertur. Hymnum eius nomine inscriptum edidit *Rosenius*, RIG-VED. SPEC. p. 12.

Digitized by Google

obviam processit vati, haud aliter ac BRACHMANEM Indras
hospitio excipere solet. Quam primum venerat in con- 9.
spectum ascetae, divino lumine fulgentis, laudatissimi re-
ligionum cultoris, hilari vultu rex pateram hospitalem ei
obtulit. Ille accepta patera, ritu solenni oblata, benigne 10.
quaesivit e terrae domino, utrum recte valeret. De pro-
spera conditione urbis, aerarii, agri, cognatorum familia- 11.
riumque accurate percunctatus regem sanctus Causicus:
Num vicini tui omnes, inquit, obsequium tibi praestant? 12.
num hostes sunt devicti? num officia tum divina tum hu-
mana probe a te servantur? Deinde anachoretarum prin- 13.
ceps, subridens ad Vasishtham conversus 2), debito ho-
nore salutatum interrogavit, quomodo valeret. Omnes, 14.
illo comitante, cubiculum regium intravere, et pro cuius-
que dignitate consedere. At rex generosissimus laetitia 15.
affectus magnum vatem Visvâmitram venerabundus affatur:
Sicuti ambrosiae impetratio, sicuti imber post diuturnam 16.
siccitatem, sicuti homini filiorum orbo proles ex consorte
placita parta, sicuti rei amissae recuperatio, sicuti laeti- 17.
tiae ingentis exordium: talis plane mihi adventus tuus
videtur. Salve, o magne vates! Quodnam optatum tibi est 18.
cordi? quid faciam? Edocere me velis. Tu mihi summa
es auctoritas, o Brachmana; faustis auspiciis advenisti,
dignitatum dator. Hodie fructuosos natales meos, vitam- 19.
que bene peractam censeo: quandoquidem te ordinis sa-
cerdotalis principem adspexi, e nocte mea dies clarissi-
mus illuxit. Tu quidem, olim regis sapientis titulo illu- 20.
stratus, castimoniis sapientis Brachmanae dignitatem na-

---

2) Ridet Visvâmitras, memor veterum simultatum, acerrime inter ipsum et Vasishtham olim gestarum. Sed iam dudum hi viri sancti in gratiam redierant.

Digitized by Google

21. ctus multimodis mihi es venerandus. Id factum sane mirabile fuit. Tu mihi saluberrima es lustratio, et in felicitatis sedem ego sum translatus tuo adspectu, o domine!
22. Fare age, quodnam officium tibi sit praestandum, cuius caussa me convenceris. Equidem tuo favore beatus, tuis
23. commodis augendis studeo. Neque sollicitum te esse oportet de negotio expediendo, vir sancte: ego id omnino conficiam; quippe tu mihi numinis instar es.
24. Intellecta hac blandissima oratione, auditu iucunda, a rege prudenti comiter prolata, vatum princeps, propter virtutem celebratus et penitus in virtute versatus, summo gaudio affectus est.

CAPUT XXI.

VISVAMITRAE SERMO.

1. Audito regis praestantissimi sermone, mirifice diserto, augustus Visvâmitras pilis prae gaudio erectis re-
2. spondit: Pronuntiatus est a te, rex potentissime, sermo eiusmodi, qualis te decet, utpote e magna prosapia oriun-
3. dum et Vasishthae consiliis utentem. Quod autem optatum a me expetitum tu mihi concessisti, cuius negotii
4. respectu huc veni, id nunc audiatur. Ego, vir fortis, voto quodam religione motus me obligavi, quod ne solvere possim mihi obstant duo gigantes, transformia cor-
5. pora habentes. Enimvero, sacro votivo saepe iam adornato, in ipso litandi momento gigantes isti deterrimi
6. carnis crudae atque cruoris imbre altare obruere. Ita

Digitized by Google

contaminato et ad irritum redacto voti mei proposito, conando fessus, animum despondens, regionem istam desero.
Scilicet non mihi est consilium, o rex, iram meam effundendi, quoniam haec caeremonia eiusmodi est, in qua 7.
diras imprecari haud fas sit. Tuo favore fieri potest, ut 8.
sine impedimento religionis fructum percipiam: tuum est
me afflictum tueri, qui praesidii inops te conveni. Peto 9.
a te, rex potentissime, ut mihi tradas tuum ipsius filium
natu maximum Râmam, vere fortem, adolescentium more
cincinnis tempora inumbratum. Is a me custoditus divino 10.
suo vigore utique gigantibus istis, quicunque me turbant,
disperdendis par est. Impertiam quoque dotes ei, mul- 11.
timodis salutares, quibus ille famam vel per ternos mundos propagatam consequetur. Isti duo quidem, cum Râma 12.
congressi, nullo modo obsistere poterunt; nec tamen alius
quisquam homo praeter Raghuidem iis trucidandis suffi-
cit. Nefarii isti, audacia vecordes, fati laqueis iam ob- 13.
noxii, vir summe, haudquaquam sunt pares Râmae magnanimo. Neque caritate erga natum frangi te oportet: 14.
ego tibi fidem meam obstringo; duos istos gigantes iam
caesos puta. Râmam magnanimum vere manu fortem esse, 15.
tum equidem novi, tum illustris Vasishthas ceterique qui
hic castimoniis sunt addicti. Si praemia piorum operum 16.
gloriamque per orbem terrarum quaerere tibi studes,
summe rex, Râmam mihi concedere te oportet. Si uni- 17.
versi magistri, Vasishtha praeeunte, mihi assentiuntur,
tunc Râmam dimittito. Decem noctibus elapsis fiet sacri- 18.
ficium, in quo bini gigantes caedendi sunt a filio tuo
Râma, facinora mirabilia edituro. Cura igitur, o Raghuide, 19.
ne tempus sacrificio praestitutum praetermittatur. Bene
tibi eveniat! Noli angori animum tradere. Tali oratione 20.
proba et salutari habita conticuit pius ille, illustris Vi-

Digitized by Google

21. svâmitras, magnus anachoreta. At regum rex, intellecto fausto istius sermone, ingenti angore oppressus, titubavit et animum defecit.

CAPUT XXII.

DASARATHAE SERMO.

1. Audita hac Visvâmitrae oratione rex turbatus, per aliquantum temporis quasi sui non compos, postquam
2. sensum recuperaverat, ita fatur: Nondum plenos sedecim annos natus est Râmas hicce meus, loti flores oculis referens; nullam in eo video facultatem pugnandi cum
3. gigantibus. Praesto est, ecce, exercitus numeris suis absolutus, cuius ego sum dux et imperator, quo comitante
4. profectus ipse contra Noctivagos istos pugnabo. En! adsunt mihi satellites, viri manu fortes armisque exercitati, idonei ad pugnandum cum gigantum catervis: Râmam ab-
5. ducere non te oportet. Ipse ego, arcum manu tenens, propugnator in prima acie, quamdiu spiritus suppetet,
6. tamdiu cum Noctivagis proeliabor. Sacrum tuum votivum ab impedimentis undique tutum exsolvetur. Ego illuc
7. proficiscar: Râmam abducere non te oportet. Infans puer is et experientia destitutus, non intelligit quid valeant vires, quid non, neque gigantibus par est: enimvero ver-
8. suti sunt in proeliis gigantes. Seiunctus a Râma profecto ne temporis momentum quidem vitam tolerare potero,
9. summe vates! Râmam abducere non te oportet. Mihi seni iam novies mille annos nato vix tandem hi filii omni-

Digitized by Google

modo expetiti provenere; e quatuor pueris natu maxi- 10.
mum et iure potiorem summa caritate amplector: Râmam
abducere non te oportet. Quod si necessario Râmas iste 11.
meus a te, anachoreta, est abducendus, proficiscatur me-
cum simul, comitatus exercitu quadrifariam (*curribus, ele-
phantis, equitibus, peditibusque*) instructo. Quid valent 12.
viribus gigantes illi? Cuiusnam filii et quinam sunt ipsi?
quali statura? et quosnam habent patronos? Quomodo 13.
tandem illis insidiarum callidis obsisti poterit a Râma,
aut a militibus meis, o Brachmana, aut a memet ipso?
Singula mihi declara, vir sancte, ut intelligam, quomodo 14.
in proelio stare possim contra nefarios istos: audacia ni-
mirum inflati sunt gigantes. Quo sermone audito respon- 15.
dit ei Visvâmitras: Est gigas ex Pulastii stirpe prognatus,
Râvanas nomine. Hic, munere a BRACHMANE ipsi concesso 16.
abutens, triplicem mundum vehementer vexat, ingenti ro-
bore, ingenti audacia, multis gigantibus stipatus. Râva- 17.
nas autem, o Rex, immanis gigantum dominus, fertur
Visravasis filius et frater Cuvêri. Huius nutu instigati 18.
duo gigantes validissimi, Mârîchus ac Suvâhus, sacrum
meum impedire conabuntur. Ita edoctus ab anachoreta 19.
rex ei haec reponit: Haud sane ego potis sum in proelio
obsistere isti nefario; tute, vir sancte, clementia utere 20.
erga filiolum meum et erga me infelicem: tu mihi instar
numinis es venerandus. Divi, Danuidae, Fidicines, Ge- 21.
nii, Alites ac Serpentes nequaquam pares sunt proelio
contra Râvanam sustinendo; quanto minus hoc in homi-
nes cadit? Illum fortibus fortitudinem eripuisse fama tra- 22.
ditum accepimus. Equidem neque cum ipso, neque cum
eius copiis certare potis sum. Nullo modo filiolum meum 23.
immortalibus similem, tenera adhuc aetate, proeliorum
rudem, o Brachmana, tibi tradam. Nimirum duo isti

Digitized by Google

sacrificii tui turbatores, Sundi et Upasundi filii, in pugna fati letiferi instar sunt: profecto non tibi tradam
24. filiolum. Ambo, tum Mârîchus, tum Suvâhus, fortes sunt atque astuti: cum horum alterutro fortasse ego pugnaverim, cinctus amicorum cohorte.

CAPUT XXIII.

VASISHTHAE SERMO.

1. Quam regis orationem, fracta prae affectu voce prolatam, simul atque audiverat Causicus, indignabundus
2. haec reponit: Dudum te facturum quicquid peterem pollicitus, nunc fidem datam infringere cupis. Insuetum est Raghuidis, tali modo sanctam veritatis legem violare.
3. Quod si tute hoc sustines, equidem abibo sicuti veneram. Fide promissorum infracta, Cacutsthide, iucunde vivas
4. cum filiis tuis. Ira commoto Visvâmitra illo sapiente, contremuit totus orbis terrarum, pavorque Superos inces-
5. sit. Vasishthas autem, vir sanctus et prudens, e magnorum Sapientum numero, quum mundum universum terroris speciem prae se ferre intellexisset, regem ita allo-
6. cutus est: Ex Ixvâcuidarum stirpe prognatus tu quasi praesens es recti effigies, constans, pius, faustus; rectum
7. deserere non te decet. Per triplicem mundum celebratus, o Raghuide! tanquam vir iustus, in officio tuo per-
8. maneto; pravitatem invehere non te decet. Pollicitus te esse facturum, postmodo quum detrectaveris, perdes quic-
9. quid piis operibus meruisti: itaque Râmam dimitte. Sive

Digitized by Google

peritus armorum sit, sive rudis: custoditum a Cusici nato
gigantes in proelio profligare non poterunt. Ille idem Re- 10.
ctum est corpore indutum; ille virorum fortium praestan-
tissimus; ille bonae mentis caput in hoc mundo, ipsumque
castimoniae studium. Novit idem Cusici filius tela aethe- 11.
ria, quotquot sunt, quae ne dii quidem norunt, nedum
ceteri per orbem terrarum homines. Tela haec aetheria 12.
olim, dum terram adhuc imperio regebat, tradita ei fuere
a benigno Crisâsvo, vigore incomparabili praedito. Sunt 13.
nimirum hi filii Crisâsvi, ex Proavi animantium filiabus
geniti, multiformes, strenui, corusci, victoriam afferentes.
BELLONA ac DEBELLONA, ambae Daxi filiae, graciles puel- 14.
lae, pepererunt tela armaque, agmen centenarium splen-
didissimum. Harum Bellona quae dicitur, primum quin- 15.
quaginta filios praestantes nacta est, qui Titanum copias
delerent, immensos, nec tamen visu percipiendos; De- 16.
bellona deinceps alios filios quinquaginta partu edidit,
Subsidiorum nomine, robustissimos, aggressu difficiles,
vix superandos. Et haecce quidem tela penitus novit 17.
Cusici natus; quin immo vir iustus valet alia progignere,
quae nunquam antea exstiterunt. Haec universa, nullo 18.
excepto, tradet Râmae magnus ille anachoreta, quibus
telis instructus Râmas sine dubio monstra ista devincet.
Propter incrementum Râmae, subditorum etiam, ac tui- 19.
met ipsius, eius profectionem diffidenter detrectare, o
Rex, non te oportet.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

DISCIPLINARUM TRADITIO.

1. Vasishtha hunc in modum monente, rex ultro hilari
2. vultu Râmam cum Laxmano advocavit. Solennibus in discessu votis a matre ac patre Dasaratha nuncupatis,
3. antistite Vasishtha fausta quaeque vaticinante, rex caritate motus filium in fronte deosculatus est, tum tradidit eum
4. simul cum comite Laxmano Cusici nato. Protinus, quum Râmas, loti flores oculis referens, in Visvâmitrae ductum traditus viseretur, spiravit ventus lenis, sensu iucundus,
5. neque ullum pulverem ciens. Decidit e coelo florum imber, auditus est concharum tympanorumque coelestium clangor, cantibus tripudiisque consonus, Raghuidarum
6. prole iter ingrediente. Visvâmitras in fronte incedebat; pone eum Râmas illustris, circa tempora cincinnatus [1]),
7. arcitenens; hunc Sumitrides sectabatur. Dii cum Vâsavo, quum Râmam in Visvâmitrae ductum transiisse viderent, incredibili gaudio affecti sunt, utpote Decemcipitis necem
8. cupientes. Visvâmitram magnanimum ambo, Râmas et Laxmanus, tunc sequebantur, sicuti divinum Indram Asvini
9. gemelli. Ambo brachium laevum et dexterae digitos illigati tegmine scorteo, *ne nervi ictibus laederentur*, acinacem, pharetram arcumque gestantes, illum sequeban-

---

1) *Kâka-paxa-dhara*, ad litteram *cornicis alas gerens*. Hic erat habitus adolescentium ex ordine militari, dum in conditione discipulorum versabantur, ut in vertice tonderentur, relictis circa tempora cincinnis, qui propter nigredinem cum cornicis alis comparantur.

Digitized by Google

tur tanquam Sthânum, quasi ipsi forent geminati Cumâ-
ri 2), ex igneo semine procreati. Qui quum paullo plus 10.
dimidio parasanga in australi Sarayûs ripa processissent,
Visvâmitras suavi voce Râmam affatus est, nominatim eum
compellans: Mi filiole Râma! aqua statim rite te lustrari 11.
oportet. Salutare quid tibi commonstrabo: curandum est
ne tempus opportunum praetereat. Accipe tu carminum 12.
complexum, quae POLLENTIA et PRAEPOLLENTIA dicuntur.
Non invadet te lassitudo, nec senium, nec membrorum 13.
deformitas; neque te sopitum socordemve laedere pote-
runt nocturna portenta; non tibi brachiorum robore par 14.
est quisquam per orbem terrarum, nec facile quisquam
invenietur vel in triplici mundo, quando tu, o Raghuide,
Pollentiam ac Praepollentiam recitaveris. Non decore, 15.
non dexteritate, non doctrina consiliorumve delectu, non
responsis expromendis, quisquam in hoc orbe te, can-
dide adolescens, aequabit. Geminam hanc disciplinam 16.
nactus, perennem quoque gloriam es adepturus: enim-
vero Pollentia et Praepollentia sunt matres sapientiae ac
prudentiae. Fame vel siti, o Raghuide, te nunquam la- 17.
boraturum esse, persuasum habeas; ad firmissimam statio-
nem in triplici mundo pervenies. Nimirum hae discipli- 18.
nae magni Parentis sunt filiae; tu autem, Cacutsthide,
es vas idoneum, quo ambae recipiantur. Quum tu prae- 19.
ditus sis virtutibus divinis ex indole tua enatis, dotibus-
que praeterea incomparabilibus, tum hae disciplinae ad
maiorem excellentiam virtutes tuas excolent. Deinde Râ- 20.
mas aqua lustratus, iunctis manibus humiliter adstans,

---

2) Vocabulum *Kumâra*, puer, abiit in nomen proprium Cârticeii, bellorum praesidis, de cuius natalibus cf. h. l. CAP. XXXVIII.

Digitized by Google

hasce disciplinas a magno vate contemplationi dedito tra-
21. ditas accepit. Quibus amplificatus heros maiore vigore
ultro effulsit, sicuti tempore autumnali almum Solis si-
22. dus, mille radiis coronatum. Postquam ambo fratres Cu-
sici filio cuncta ministeria, quae magistro debentur, prae-
stiterant, hi tres eam noctem ad Sarayûs ripam percom-
mode requievere.

CAPUT XXV.

COMMORATIO IN CUPIDINIS EREMO.

1. Postero mane, simul atque illuxit, Visvâmitras ma-
gnus anachoreta appellavit Cacutsthidem, in foliorum
2. acervo cubantem: Proh felix prole sua Causalia, o Râma!
Iam apparet crepusculum matutinum. Surge age, homi-
num princeps! Curandae sunt religiones quotidianae.
3. Regii adolescentes strenui, audita Sapientis gravissima ex-
hortatione, post lavationem corporis ac solennes aquae
libationes, preces sacratissimas submissa voce recitavere.
4. Deinde perfuncti religionibus quotidianis, coniunctim ad
Visvâmitram, castimoniarum thesaurum, accessere; ut et
5. hunc venerarentur. Denuo iter ingressi iuvenes fortissimi
conspexerunt post aliquantum temporis aetherium amnem
nymphae Triviae 1), prope faustos cum Sarayû confluen-
6. tes. Ibi situs erat sanctus eremus Sapientum contempla-

---

1) *Tripathagâ*, tribus tramitibus procedens, est Gangis cognomen, de quo cf. CAP. XLIV, DIST. 48.

Digitized by Google

tioni deditorum, qui a multis inde annorum millibus se-
verissimis castimoniis sese castigaverant. Quo viso ambo 7.
Raghuidae, gaudio affecti, magnanimum Visvâmitram his
verbis interrogare: Cuiusnam est sanctus hic eremus? 8.
quinam mortales eum incolunt? Id cupimus audire, vir
divine, cognoscendi studio commoti. Quorum quaestione 9.
intellecta, vatum princeps ridens respondit: Audiatur, o
Râma! cuiusnam sit antiquus hic eremus. *Candarpus* olim 10.
fuit corporeus, quem sapientes Cupidinem appellant. Is
adiit subito Umae maritum (*Sivam*) statim post nuptias
factas, ut eo potiretur. Auctor ille nequitiarum Sthânum 11.
hic sese coërcentem et solvendo castitatis voto intentum
adortus est, sed a magnanimo voce indignabunda: Apage! 12.
repulsus. Quem spretum quum Rudras torvo lumine ad-
spexisset, corpore improbi soluto cuncta eius membra
extabuere. Ita incorporeus factus Cupido ira dei poten- 13.
tissimi, o Raghuide, ab eo inde tempore *Anangi* 2) no-
mine celebrari coeptus est, et haecce terra fausta *Ango-* 14.
rum dicitur, ubi corpus ille amiserat. Huius proprius
olim fuit sanctus hic eremus, nec non anachoretae isti.
Habitant ibi viri sensuum coërcitione gaudentes, omnes 15.
grandaevi, continuo de rebus divinis verba facientes, ca-
stimoniis ab omni labe purgati. Hodie huc unam noctem 16.
devertamur, venuste adolescens, in spatio binis amnibus
sanctis incluso; cras autem traiiciemus. Nunc ablutione 17.
facta puri accedamus ad sanctum Cupidinis eremum, in
quo commode pernoctabimus. Qui dum ita inter se col- 18.
loquebantur, anachoretae praesago piae mentis lumine

---

2) *Ananga*, i. e. corpore carens, allegorice dictus est Cupido, quia nihil est nisi mentis affectus. Sed poëta pro more suo mythicam eiusdem nominis originem tradit.

Digitized by Google

19. adventum eorum summa cum laetitia cognoverant. Nuntiavere Cusici nato, pateram hospitalem, pedum lavationem, et quae praeterea hospitibus debentur, esse parata; postea Râmam et Laxmanum etiam hospitio excepere.
20. Officiis hisce perfuncti et colloquiis delectati, vates isti preces vespertinas, sicuti decebat, voce submissa et in-
21. tento animo recitavere. Tum hospites, sanctis anachoretis loci incolis assidentes, percommode ibi in Cupidinis eremo requieverunt.

CAPUT XXVI.

ACCESSUS AD TADACAE SILVAM.

1. Diluculo claro exorto, ambo hostium domitores Visvâmitram, religionibus quotidianis perfunctum, ducem
2. secuti ad fluvii (*Gangis*) ripam accesserunt. Tum anachoretae isti magnanimi, propter sanctitatem laudati, quum navem commodam suppeditassent, universi Visvâ-
3. mitram monuere: Conscende navem, vir venerande, adolescentibus regiis comitantibus. Securo itinere perge;
4. cura, ne tempus opportunum praetereat. His assensus Visvâmitras, vatibus salutatis, cum binis comitibus traic-
5. cit amnem ad Oceanum properantem. Cuius in medium alveum delati Râmas fraterque eius natu minor audivere
6. strepitum, undarum impetu in maius auctum. Râmas igitur in medio alveo ex anachoretarum principe quaesivit: Quisnam est hic tumultus fragorque aquae aestuantis?
7. Audito Raghuidae sermone, a studio cognoscendi profecto,

Digitized by Google

vir pius de soni huius caussa certiorem eum fecit. In 8.
Cailâsi montis cacumine, Rama, est lacus, qui quoniam
sola mentis vi a BRACHMANE olim creatus fuit, inde lacus
Mânasus (quasi *mentalis*) dictus est. Ex hoc lacu effu- 9.
sus, qui Ayôdhyam alluit, amnis purus Sarayus nomen
inde traxit, quod e Brachmanis lacu procedit 1). Huius 10.
in Gangem confluentis eiusmodi strepitus collisu aquarum
excitatur. Tu, Râma, confluentes debita reverentia adora. 11.
Protinus Raghuidae utriusque fluvii numen salvere iusse-
runt, et ad ripam australem appulsi alacri incessu viam
carpere coeperunt. Ibi haud procul silvam visu horren- 12.
dam conspicatus regis optimi filius Ixvâcuides ex vatum
principe quaesivit: Cuiusnam est silva ista horrenda, 13.
quae tanquam spissa nubium congeries nobis imminet?
Videtur esse invia, avium catervis pervolitata, cicadarum
turbis resonans, ferarum immanium oscinumque dira cro- 14.

---

1) Quae de Sarayûs (hodie *Gogra*) origine hic traduntur, utrum vera sint an fabulosa, fontibus huius fluvii nondum satis exploratis, alterutram in partem certo affirmari nequit. Exstat lacus *Mânasus* (quem geographi plerumque corrupte scribunt Manasarovara, quum scribi debeat *Mânasa-Sarôvara*, i. e. Mânasus lacus primarius), quanquam in terra Tibetana situs ad latus septentrionale Himavantis, satis vicinus tamen iisdem montium iugis, unde Sarayus versus meridiem decurrit. Fieri igitur potest, ut, re vera ex lacu effusus, per convallem aliquam confragosam prorumpat, quod idem Satadrui, Hesydro veterum, ex lacu Râvanahrado emisso, accidere compertum habemus. Utrumque lacum invisit *Moorcroft*, Anglus, in itinere ultra Himavantem suscepto: sed Mânasum e longinquo tantummodo prospexit, totum ambitum ipse non emensus; ut itaque rivus inde emissus inter nives glaciemque eius oculos fallere facile potuerit. Cf. As. Res. XII. Itinerarium c. tab. geogr.

Digitized by Google

citantium plena; leonibus, tigribus, apris, ursis, rhino-
15. cerotibus elephantisque frequentata; *dhavis*, *asvacarnis*,
cacubhis, *vilvis*, *tinducis*, *pâtalis*, variis arboribus ve-
16. pribusque obsita; quo nomine ea appellatur? Huic re-
spondet illustris Visvâmitras, magnus anachoreta: Ausculta, puer Cacutsthide, cuiusnam sit ista horrida silva.
17. Duae hae regiones amplae Malajorum et Carûshorum,
optime adolescens, olim divino opificio formatae fuere.
18. At Indras mille oculis splendens, fame impulsus, ut fer-
tur, caeso socio suo Namuche, propter scelus violatae
19. amicitiae sordibus sese contaminaverat. Hunc ibidem pro-
tinus Superi cum Sapientum coetu urceis aquarum lustra-
20. lium plenis, omnem maculam tollentibus, abluerunt. Qui
deus quum in hac terra maculam sordesque ex amici
21. parricidio ipsi adhaerentes deposuisset, summo gaudio
affectus est. Quam primum Indras a maculis sordibusque
22. purgatus fuerat, laetus huic terrae munus eximium con-
cessit. Hac duae regiones amplae, ait, famam per or-
23. bem terrarum adipiscentur, *Malajorum* et *Carûshorum*
dictae, siquidem corporis mei maculas sordesque retinent.
Ratum esto! ita Superi, audita nominis significatione a
24. Vâsavo prolata, deo fruges maturanti annuerunt. Hae
duae amplae regiones Malajorum et Carûshorum, o ho-
25. stium domitor, diu fertilitate floruerunt. Postero autem
tempore Yaxa 2) quaedam versipellis, robustissima, utpote

2) Sanscrite *Yacshinî* s. *Yacshi*, femininum deductum a masc. *Yacsha*. Est genus semideorum, quos Latine *Genios* satis apte dici posse arbitratus sum. Sed vocabulum Latinum feminino caret; ad Sanscritum igitur erat redeundum. Plane diversi a *Râxasis* (Gigantibus) sunt *Yaxi*, venusti, mites, amori et voluptatibus dediti. Mores eorum pinxit Câlidâsus in carmine elegantissimo, quod NUBES NUNTIA inscribitur.

Digitized by Google

mille elephantorum robur possidens, cui Tâdacae nomen 26.
erat, Sundo Ditidarum principi nupsit, ex qua genitus
est gigas Mârîchus, Indram fortitudine aemulans. Tâdaca 27.
vero nefaria utramque regionem, tum Malajorum, tum Ca-
rûshorum, continuo devastat. Haec eadem, viam obstruens, 28.
ultra dimidium parasangae hinc habitat; nobis versus eam
partem eundum est, unde Tâdacae silva obiacet. Tu, 29.
lacertorum robore fretus, meo iussu caede nefariam illam,
hanc regionem fac denuo pestis suae immunem. Qualis 30.
nunc est, nemo eam adire potest, a Yaxa horrenda et
intolerabili pessumdatam. Hactenus tibi verum exposui, 31.
quomodo horrida haec silva iam olim vexata fuerit a
Yaxa, quae neque hodie cessat.

CAPUT XXVII.

TADACAE GENERATIO.

Audita incomparabilis anachoretae narratione mira- 1.
culi plena, Râmas denuo dubitationem interrogando pro-
posuit: Quandoquidem Yaxi viribus parum valere ferun- 2.
tur, quomodo fit, ut femina imbecilla mille elephantorum
robur possideat? Intellecta quaestione a splendidissimo 3.
Raghuide prolata, Visvâmitras respondit: Disce, unde ea
tantopere viribus aucta sit. Exstitit olim eximius Yaxus, 4.
Sucêtûs nomine clarus. Is prole carens, bene moratus,
severis castimoniis sese castigavit; quo facto propitius 5.
rerum Parens huic Yaxorum principi filiam largitus est
gemmae instar pulcram, cui Tâdaca nomen inditum; ro-

Digitized by Google

6. bur quoque mille elephantorum virgini concessit rerum
Parens: at filium Yaxo, quantumvis cupienti, non itidem
7. concessit. Praeclaram hanc puellam pubescentem, forma
et iuventa insignem, nuptum dedit pater Sundo, Jambhi
8. filio. Post aliquod tempus vero Yaxa partu edidit natum
Mârîchum, aggressu difficilem, qui diris in gigantem con-
9. versus est. Caeso autem Sundo isto, Tâdaca cum filio
suo Agastium, vatum praestantissimum, aggredi molitur.
10. Furore acta, rugiens, devorandi consilio eum incursat.
Quam quum irruentem videret almus vates Agastius, his
11. verbis: »In giganteam naturam transi!« diras Mârîcho
precatur; indignabundus deinde Tâdacam quoque exse-
12. cratus est: Tu, quum a stirpe nobilis Yaxa sis, nunc
carnis humanae avida, depravata, distorto vultu, haece
13. forma exuta, illico formam horrendam indue. Eadem illa
Tâdaca, diris exagitata, furore vecors, devastat hanc
14. regionem, ab Agastio antea habitatam. Hanc igitur Yaxam
nefariam, horrendam, audacissimam, o Râma, tu caedito,
15. ut boum armentis Brachmanisque opem feras. Etenim in
tribus mundis nemo alius exstat praeter te, Raghuide, qui
16. isti diris implicatae interficiendae par sit. Neque ulla mi-
sericordia propter feminae caedem commoveri te oportet:
regum filiis perpetrandum est, quicquid ad salutem qua-
17. ternorum ordinum pertinet. Subditos tuendi gratia per-
petrandum est, sive crudele sit, sive mite; sive purum,
18. seu cum piaculo coniunctum: ne dubita. Haec est lex
perpetua eorum, quibus imperandi onus incumbit. Im-
19. piam caedito, Cacutshide! Nullum pro ea ius valet. Sane,
ut memoriae traditum est, Indras olim Virôchani filiam
Mantharam, quae terram vastare cupiebat, enecavit. A
20. Vishnû quoque olim Bhrigûs uxor, marito dedita, Câvyi
mater, quum mundum Indra orbare moliretur, est tru-

Digitized by Google

cidata [1]). Ab his aliisque multis regum filiis magnanimis 21.
mulieres impietate gaudentes, optime adolescens, caesae fuere.

CAPUT XXVIII.

Tadacae caedes.

Intellecta vatis sententia mascula, Raghuides, prin- 1.
cipis eximii proles, manibus suppliciter iunctis viro votorum tenaci respondit: Equidem his verbis: »Visvâmitrae 2.
dicto audientem te esse oportet,« a patre ac matre sum admonitus, magne vates. En ego, patris iussu tuoque, 3.
qui incomparabili luce splendes, sceleratae Tâdacae necem perficiam. Boum armentis Brachmanisque ut opem feram 4.
et huic regioni consulam, promptus sum ad mandatum hocce tuum sine detrectatione exsequendum. Ita locutus hostium domitor, pugno medium arcum prehendens, ner- 5.
vum resonare fecit acutum, strepituque cunctas coeli pla-

---

1) Râmas naturae suae divinae prorsus est ignarus: proponere itaque poterat ei magister Vishnûs exemplum tanquam alienum. Alludit poëta ad facinus perpetratum a Râma Securifero (*Parasu-Râma*), qui ipse erat Vishnus corpore humano indutus. Prior hic Râmas Jamadagnis filius fuisse perhibetur, Bhrigûs abnepos. Cf. de eo huius libri cap. LXXIV — VI. Is, talibus maioribus ortus, quomodo regum filiis, i. e. *Xatriis*, adnumerari possit, non satis assequor, nisi quis dicat, eum reapse, bellis gestis, e Brachmanum stirpe in ordinem militarem transiisse.

Digitized by Google

6. gas implevit. Inde ferae silvam incolentes territae fuere;
ipsa Tâdaca conturbata est, ad nervi sonum expergefacta.
7. Quo audito, suspicata quid esset, femina gigantea, furore
vecors, eo accurrit infensa, unde sonus propagatus fue-
8. rat. Raghuides intuens deformem illam, distorto vultu,
statura enormem, indignabundus Laxmanum affatur: Ad-
9. spice, Laxmane, Yaxae formam terribilem, portentosam,
cuius conspectu pavidorum corda facile fracta forent. Ad-
10. spice illam aggressu difficilem, praestigiarum vi praedi-
tam: hodie eam in ordinem cogam, auribus naribusque
11. truncam. Neque enim a me impetro, ut interficiam illam,
utpote feminei sexus iure tutam; sed fortitudinem eius
12. impetumque retundere volo: sic stat sententia. Dum sic
loquebatur Râmas, Tâdaca furore vecors, brachiis alte
13. sublatis, rugiens eum incursavit. At vates divinus Visvâ-
mitras voce indignabunda abominatus illam, »Macti sunto
14. Raghuidae!« exclamare, victoriamque iis praesagire. Tum
Tâdaca horridum pulverem ciens ambos Raghuidas glo-
15. merato pulveris turbine aliquantisper occaecavit. Deinde,
ad praestigias conversa, vehementi imbre lapideo eos ob-
16. ruit, quo facto Râmas ira exarsit. Is retundens immanem
imbrem lapideum sagittarum imbre, incursantis manum
17. utramque telis alatis abscidit. Tum brachiorum extrema
parte iam mutilam, e propinquo circa se rugientem, Lax-
18. manus auribus naribusque truncam reddidit. Yaxa vero
transformi corpore praedita in varias formas transiit, prae-
19. stigiisque suis eos eludens ex oculis evanuit. Continuo
faustus Gâdhis natus, utrosque lapidum imbre undique
20. obrutos cernens, his verbis admonuit: Mitte lenitatem,
Rama! Timendum est, ne Yaxa illa impia ac scelerata,
sacrificiorum turbatrix, mox praestigiis suis incrementum
21. capiat. Utique sine mora caedito illam: iamiam instat

Digitized by Google

crepusculum, et crepusculi tempore gigantes sane sunt
aggressu difficiles. Ita admonitus Râmas Yaxam cum la- 22.
pidum imbre ingruentem undique sagittis obstruxit, ex-
hibens artem suam *sine oculorum ope* ictus ad sonum
collineandi. Illa telorum retibus quasi illaqueata, prae- 23.
stigiis pollens, Cacutsthidem Laxmanumque cum rugitu
incursavit. Quam velociter irruentem, fulguris instar ve- 24.
hementem, Tâdacam deformem, caedis avidam, horren-
dam, denso nubium globo similem, lacertos alte tollentem, 25.
confixit Râmas in pectore sagitta in lunae crescentis spe-
ciem curvata, quo telo fulmineo ista graviter confossa spis- 26.
sum cruorem evomuit, ceciditque, exspiravitque. Quum
monstrum visu horrendum caesum viderent Superûm prin- 27.
ceps ceterique divi, »Euge! euge!« acclamantes, Cacu-
tshidem consalutavere. Indras, qui mille oculis splendet, 28.
in coelo apparens, magnopere laetus cum toto immorta-
lium agmine Visvâmitram talibus affatur: Vates Causice, 29.
en! vide nos cum Indra adesse, propitiatos facinore
hocce Râmae immenso vigore praediti. Tu salve, et ex 30.
nostro mandato benevolentiam erga Râmam exhibe. Tuum
est, amplificare eum viribus, quas castimoniis et contem-
platione tibi quaesivisti. Quaecunque tela a filio magni 31.
Parentis, Crisâsvo, praestantissimo rege, tu adeptus es,
eadem universa huic suppedita. Dignus est, o Brachmana, 32.
qui ea accipiat, utpote tibi obsequendi studiosus: ingens
opus pro nobis perficere oportet regium adolescentem.
Quibus dictis Superi omnes Visvâmitram salutantes eo 33.
abierunt, unde venerant. Tum egregius vates, laetus, 34.
et Tâdacae caedem comprobans, Râmam in fronte deo-
sculatus, talia fatur: Hic, o Râma, blandi adspectus puer, 35.
hodie noctem commoremur; cras primo mane ad seces-
sum meum pergemus. Audito Visvâmitrae sermone Râ- 36.

Digitized by Google

mas hilaris ibidem in Tâdacae silva commode pernocta-
37. vit. Eo ipso autem die silva ista, diris liberata, nova amoenitate effulsit, veluti Chaitrarathum Cuveri viridarium.
38. Enecata ista Yaxi filia Râmas, plausu exceptus a Superûm ac Beatorum coetu, ibi cum anachoreta requievit, de hora diluculi, *ne eam praetermitteret*, admonitus.

CAPUT XXIX.

TELORUM TRADITIO [1]).

1. Post noctis huius quietem magnus vates Visvâmitras ridens Raghuidem verbis suavi voce prolatis alloquitur:
2. Probasti te mihi; macte, regum proles nobilissima! Summa caritate motus do tibi universa tela, quibus per orbem
3. terrarum inimicos tuos vi coërcitos in proelio vinces, si vel Dii sint Titanesve, cum Gandharvis ac Serpentibus
4. consociati. Dabo tibi tanquam amoris pignus quaecunque

---

1) Totum hoc caput cum sequenti spectat ad superstitionem per Indiam olim late propagatam, certorum carminum virtute, quae memoriter ediscere ac leni murmure recitare oportebat, acquiri posse disciplinas arcanas facultatesque naturae humanae modum excedentes. Eo iam alluserat poëta C. XXIII, 11 — 18. Tela haec incorporea partim efformata sunt ad similitudinem eorum, quae diis diversisque semideorum ordinibus tribui solent, partim ex mero ingenii lusu prodiere; nec facile foret definire, quamnam eorum effigiem in animo habuerit poëta, et quasnam singulis virtutes subesse voluerit.

Digitized by Google

tela ego novi, Cacutsthide! Scilicet his dignum te censeo.
Dabo tibi, o heros, vindictae discum, magnum, aethe- 5.
rium; porro iuris discum, nec non fati discum; tum Vi-
shnûs discum acerrimum, Indraeque discum invictum; 6.
telum fulmineum, nec non Sivae tridentem egregium;
Brachmanis caput, Iaculum quoque, fortissime adolescens, 7.
Brachmanicum telum incomparabile; binasque clavas, 8.
quae *Môdaca* et *Sikhara* dicuntur, splendidas tibi offero,
hominum princeps. Tum legis laqueum, fatique laqueum 9.
invictum, Varuni quoque laqueum do tibi celebratissimum.
Accipe, o Râma! haecce duo fulgura, *Siccum* et *Humi-* 10.
dum, a me tibi parata; porro Tridentiferi telum, nec
non telum Nârâyani. Telum Igneum, cui nomen est Apex; 11.
Ventique proprium, quod Turbo dicitur, do tibi, can-
dide adolescens. Telum Hippocephalum dictum, pariter- 12.
que Ardeae rostrum, hastasque binas hasce accipe, Irre-
tortam ac Victricem. Horrendum pistillum ossifragum, 13.
et manicam e craniis contextam, qualia gestant Titanes;
ea cuncta tibi trado. Porro ingens Aligerorum telum, cui 14.
nomen est Delenimentum; ensemque praestantissimum do
tibi, heroïca regis proles; Fidicinum coelestium quoque 15.
telum magni aestimatum, cui nomen est Fascinatio. Do
tibi Soporiferum et Quietale, telumque Solare; tum Plu- 16.
viale, tum Torridum; Aestuosum atque Unctorium; Ille-
cebram porro, invictum Cupidinis telum; Lemurum te- 17.
lum Crudivorum, Cuvêrique telum do tibi, et Giganteum,
quod hostium exercitibus fortunam, constantiam spiritum-
que vitalem aufert; telumque tum Verax, tum Fallax, 18.
nec non telum magnarum praestigiarum; Heroïcum, cui
nomen est inditum a vigore et splendore, quod adversa-
riis vigorem eripit; telum Lunare, Glaciale dictum; Vi- 19.
svacarmanis quoque bene compactum; telumque invictum

Digitized by Google

Letiferum; denique frigido mucrone sagittam, quod est
20. telum Humanum. Haec atque alia do tibi, utpote mihi
dilectissimo: accipe ea cuncta a me, viri optimi nate!
21. Tunc eximius anachoreta, lustratus, ore ad orientem
converso adstans, tradidit Râmae praestantissimum car-
22. minum complexum. Quorum universorum comprehensio
vel diis difficilis est ad adipiscendum, haec eadem vir
23. venerandus Raghuidem edocuit. Dum vates ille voce sub-
missa integrum carminum complexum recitabat, circum-
steterunt iuvenem tela mirabilia, speciem corpoream in-
24. duta, et manibus iunctis sese ei obtulerunt, talia dicen-
tes: Adsumus, en, generosissime Raghuide, nos, tui fa-
25. muli. Cacutsthides autem, comiter excipiens eos, singu-
losque manu prehendens, cohortatus est hunc in modum:
26. Menti meae praesentes estote! Deinde hilari animo Râmas
illustris, magnum anachoretam Visvâmitram veneratus, ad
ulterius progrediendum se accinxit.

CAPUT XXX.

SUBSIDIORUM TRADITIO.

1. Telis acceptis Cacutsthides, laetitiam vultu prae se
ferens, inter eundum Visvâmitram ita affatur: Dotatus sum
2. equidem telis, vir sancte, aggressuque difficilis vel Supe-
ris factus; sed telorum subsidia 1) quoque cognoscere

1) Sanscrite *Sanhâra*; cuius vocabuli variae sunt significationes, propria tamen et primaria *corripiendi actus*

Digitized by Google

cupio, vatum praestantissime. Dum tali modo Cacutsthi- 3.
des loquebatur, Visvâmitras asceta, constans, religioni-
bus addictus, purus, subsidia nuncupare orsus est: »Veri- 4.
dicum, Honestum, Audacem, nec non Velocem; Ianito-
rem, qui Progressus dicitur; aversum Vultum, Vultum-
que deiectum; Scopum pariterque Ascopum; Sclerom- 5.
phalum et Euomphalum, Decophthalmum et Hecatosto-
mum; Decemcipitem et Centiventrem; Teratoscopum et 6.
Auspicem; Averruncum eique coniunctum Intaminatum;
Infatigabilem et Vigilem; Daemonium nec non Turbato- 7.
rem, manu Fortem, Lusum, Opulentumque; Oscitantem
et Chrysomphalum, Socialem Custodemque pariter: ful- 8.
gidos hosce Crisâsvi filios, formam pro arbitrio mutantes,
accipe a me. Salve, Raghuide! tu munere dignus es.«
Euge! exclamans Cacutsthides, arripuit istos ab asceta 9.
Visvâmitra sic ipsi traditos, tum statores, tum hostium
profligatores. Hi vero, formam aetheriam induti, aethe- 10.
rio cultu ornati, partim prunarum ardentium similes,
partim fumo atro comparandi, manibus suppliciter iun-
ctis, Râmam suavi voce allocuti sunt: »Ecce nos dicto 11.
tibi audientes, o Râma! Impera nobis hic adstantibus,
Raghûs proles!« Abeatis nunc licet, inquit ille, prout 12.

Videtur intelligi facultas tela magica opportuno loco et tempore adhibendi. Quae ad caput proxime praecedens monui, magis etiam de hoc capite valent. In subsidiorum enumeratione magnopere variant codices: nec mirum, librarios nomina parum intellecta perperam exarasse. Scholiastae nihil bonae frugis afferunt. Sed frustra foret, in eiusmodi deliramentis certam aliquam ac rectam rationem invenire velle. Bene nobiscum actum est, quod in neutro capite numerus quinquagenarius expletur.

Digitized by Google

cuique lubet; animo meo praesentes rerum gerendarum
13. temporibus mecum consociamini. Isti protinus, salutato
Râma ac versus dexteram circumambulato, abiere sicut
14. advenerant. Quibus dimissis, Râmas deinde magnum
vatem Visvamitram inter eundum sermone suavi ac mo-
15. desto affatur: Quodnam est nemus istud umbrosum, quod,
parvo intervallo a monte remotum, nubis simile hinc
16. conspicitur? Id magnopere cognoscere cupio. Est enim
adspectu pulcrum, capreis frequentatum et admodum de-
lectabile, avibus varii generis dulce cantantibus ornatum.
17. Iam emensi sumus, vatum optime, saltum istum impen-
vium, visu horrendum, quantum equidem colligo ex huius
18. regionis amoenitate. Cuncta mihi enarra, vir venerande:
cuiusnam est hic secessus, quem invasere maligni isti ac
19. nefarii religionum turbatores, crudeli consilio sacrum
tuum impediendi? Quaenam est illa regio, ubi tu aream
20. sacrificalem apparasti? Meum est, securitatem praestare
caeremoniis ac caedere Gigantes. Quae omnia edoceri
cupio, anachoretarum praestantissime.

CAPUT XXXI.

COMMORATIO IN EREMO CONSUMMATO.

1. At excelso adolescente de silva ista sciscitante, au-
2. gustus Visvâmitras rem exponere coepit. Hic, fortissime
Râma, *inquit*, sanctus ille Vishnus diis venerandus ha-
bitavit, ut castimonias exerceret et contemplationi vacaret.
3. Antiquus hic eremus pumilionis magnanimi fuit, Con-

Digitized by Google

summati nomine insignitus, quia ibidem iste castimoniis
ad consummationem pervenerat. Superato deorum prin- 4.
cipe Indra aliquando Balis, Virôchani natus, triplicis
mundi imperio fruebatur, robore superbiens ac demens. 5.
Tunc, Bali sacrificium parante, Indras ceterique Superi
metu turbati Vishnum in hoc eremo compellarunt: Balis 6.
Virôchanides, o Vishnus, potentissimus ille, sacrum parat,
cunctis animantibus optatorum largitor, utpote opibus
pollens Titanum rex; et quotquot alicunde ad eum de- 7.
vertunt petitores, hisce, quicquid ubicunque et quomo-
docunque petant, nihil non largitur. Tute ergo, deorum 8.
salutis gratia ad magicam artem conversus, specie pumi-
lionis assumpta, o Vishnus, opus pulcerrimum perfice. —
[*Eodem tempore Casyapus, ignis instar fulgens, una 9.
*cum Aditide maiestate quasi illuminatus, almus divinae 10.
*coniugis consors, voto per mille annos divinos continuato
*exsolutus, munerum datorem, Madhûs interfectorem,
*laudibus extollebat: Te sanctum, sanctitatis cumulum 11.
*et corpoream quasi speciem, quod religionibus bene
*observatis merui, te, inquam, Genium summum *mentis*
**oculis* cerno. In corpore tuo, domine, video univer- 12.
*sum hunc mundum. Tu es sine principio aeternus, in-
*enarrabilis: ad te, tanquam praesidium meum, ego con-
*fugio. — HARES propitius Casyapum ab omni labe pur- 13.
*gatum sic affatur: Elige munus aliquod: bene tibi eve-
*niat! Dignum munere te censeo. Quibus dei verbis au- 14.
*ditis Marîchi filius Casyapus, Suscipe, venerande, inquit,
*conditionem filii ex me et Aditide geniti. Fieri velis 15.
*Indrae frater natu minor, o Titanum debellator: nam
*te decet Superis moerore afflictis auxilium ferre. Deinde 16.
*splendidissimus Vishnus ex utero Aditidis editus est sub
*specie mendici erronis, umbraculum, vas fictile et cri-

Digitized by Google

*nium apicem *in vertice ceteroquin raso* gestantis.*] 1) —
17. Ita compellatus a Superis Vishnus pumilionis speciem induit, et ad Virôchani filium accedens, spatium trium pas-
18. suum suorum petiit. Quod donum quum accepisset, Vishnus, forma in immensum dilatata, tribus passibus totidem mundos permensus est, TER GRADIENS inde dictus.
19. Scilicet uno passu tellurem universam exsuperavit, secundo aeternum aethera, tertio coelum; et postquam Ti-
20. tanem istum Balem ad sedes inferas detruserat, Indrae triplicis mundi imperium restituit, peste illa deleta. Ere-
21. mus, ab isto piorum operum auctore habitatus, a me quoque propter divini pumilionis observantiam colitur. Hunc
22. secessum incursant Gigantes sacrum impedituri, qui nefarii a te, fortissime adolescens, sunt interficiendi. Hodie
23. accedemus ad praestantissimum eremum Consummatum, cuius dominium, mi filiole, eodem iure tuum est, quo
24. meum. Ita locutus magnus anachoreta admodum laetus, Râma et Laxmano secum deductis, secessus sui fines pla-
25. cido vultu intravit. Eremi consummati incolae, e longinquo appropinquantem conspicati, subito undique evo-
26. lantes, pro se quisque Visvâmitram salutare. Simul atque intraverat, obtulerunt ei pedum lavationem, pateram hospitalem ac sedile; pariter deinde regios adolescentes
27. hospitio excepere. At Raghuidae, hostium domitores, quum aliquantisper sese recreassent, anachoretarum prin-
28. cipem allocuti sunt: Hodie, quod bene tibi eveniat, magne

---

1) Quae uncis inclusi, nescio unde, certe importuno loco huc sunt intrusa. Arctissime enim inter se cohaerent distichi octavi finis et decimi septimi initium. Retinui tamen versus a Bengalis eiectos, quia per se lectu digni sunt.

Digitized by Google

vates, praevias caeremonias ordire; eremus hicce Consummatus denuo consummetur. Vera esto oratio tua. Ita compellatus augustus Visvâmitras, inter Sapientes emi- 29.
nens, protinus praevias caeremonias orsus est, mente sensibusque coërcitis. Ambo iuvenes autem, cum eam 30.
noctem rite compositi peregissent, diluculi tempore surrexerunt, religionesque matutinas observarunt; tum, aqua 31.
lustrati, puri, post preces leni murmure recitatas, salutavere Visvâmitram, igni sacro, cui pingues latices libaverat, assidentem.

CAPUT XXXII.

VISVAMITRAE SACRIFICIUM.

Deinde regii adolescentes, gnari quid cuique loco 1.
et tempori conveniret, opportuno hoc sermone Causicum vatem allocuti sunt: »Discere cupimus, vir sancte, quo- 2.
nam tempore duo isti Noctivagi sint arcendi? Eloquere, ne momentum rei agendae praetermittatur.« Dum Cacut- 3.
sthidae, regia proles, sic loquebantur, universi anachoretae eos edocuerunt: Ab hodierno inde die usque ad 4.
sextam noctem vobis, Raghuidae, est vigilandum. Vates hicce praevias caeremonias inchoavit, et per omne hoc tempus in silentio perstabit. Intellecta sententia anacho- 5.
retarum contemplationi deditorum, ambo pervigiles sex dies noctesque silvam sacram custodierunt. Excubias ege- 6.
runt hostium domitores strenui, sagittandi peritissimi, ut custodirent insignem vatem Visvâmitram. At praedicto 7.

Digitized by Google

tempore praeterlapso, quum sextus dies advenisset, Râ-
mas ad Sumitridem conversus, Vigil esto, inquit, animum-
8. que intende! Usque ad hunc diem horrendi Gigantes
nondum advenerunt; hodie vero nobis ambobus horren-
9. dum certamen cum Gigantibus instat. Dum Râmas pu-
gnandi cupidine incitatus ita loquebatur, subito exarsit
flammis coruscis area sacrificalis, ab ignis ministro et an-
10. tistite circumsessa, verbenis, cyathis paterisque, lignis
aridis florumque cumulis instructa; et inchoatum est ex
ordine sacrificium istud, carminibus solennibus accommo-
11. datum. Tunc ingens fragor horrificus per aethera erupit,
qualis nubes coelo caliginem obducens pluvia anni tempe-
12. state cernitur. Hunc in modum praestigiis visui obiectis,
impetum fecerunt duo gigantes, Mârîchus Suvâhusque, uter-
13. que cum sectatorum suorum turba. Propius advecti visu
horrendi isti cruoris imbres emiserunt: tunc Râmas subito
14. irruentes in coelo conspexit. Quos quum videret incur-
santes et imbrem sanguinis effundentes, iuvenis, oculis
15. loti similibus decorus, hisce fratrem affatur: Adspice,
Laxmane, nefarios istos Gigantes carnivoros, Humano telo
mox discutiendos, sicuti nubes procellae impetu discuti
16. solent. Ita locutus Raghuides, simul festinanter telum Hu-
manum arcui aptatum vehementi ira commotus fixit in
17. Mârîchi pectore. Is percussus telo isto praestantissimo,
ultra centum parasangas coniectus fuit in aestuantes oceani
18. fluctus. Quum Râmas Mârîchum longe reiectum videret
attonitum, et frigidi mucronis vi excruciatum sese volu-
19. tantem, ad fratrem conversus: Ecce, Laxmane! inquit,
frigidus mucro, telum hocce Humanum, carminibus in-
cantatum, illum obstupefactum aufert, nec tamen spiritu
20. vitali privat. Ceteros istos Gigantes quoque profligabo,
immites, sceleratos, nil nisi nefas meditantes, sacrorum

Digitized by Google

turbatores, sanguinem potantes. Deinde telum Igneum, 21.
fulgens, eximium, exprompsit et in Suvâhûs pectore fixit,
qui confossus humi procubuit. Telum Aërium iaculatus 22.
illustris Raghuides reliquos confecit, quo facto generosus
adolescens gaudium anachoretis attulit. Profligatis gigan- 23.
tibus cunctis, sacri turbatoribus, salutabatur a vatibus ve-
nerabundis Raghûs proles, sicuti Indras, propter victo-
riam reportatam. At sacrificio bene peracto magnus ana- 24.
choreta Visvâmitras, quum coeli plagas in statum tran-
quillum restitutas cerneret, talibus Cacutsthidem affatur:
Voti mei factus sum compos; tu vero, iuvenis fortissime, 25.
magistri iussa peregisti, et cremus hicce Consummatus in
posterum vel consummatior est redditus.

CAPUT XXXIII.

COMMORATIO IN RIPA SONI.

Rebus bene gestis Râmas et Laxmanus, iuvenes ala- 1.
cres, noctem ibidem quievere, animo ad laetitiam erecto.
Postero mane quum illuxisset, matutinis religionibus per- 2.
functi, ambo una Visvâmitram ceterosque Sapientes adie-
runt. Venerati anachoretam, ignis instar fulgentem, ado- 3.
lescentes blande loquentes orationem blandam generosam-
que protulerunt: Nos ambo, en! famuli tui, vir praestan- 4.
tissime, adsumus; impera nobis pro arbitrio: quodnam
iussum exsequi nos oportet? Ad haec utriusque dicta 5.
vates isti, Visvâmitra duce, uno ore Râmae responderunt:
Celebrabitur a rege Mithilensi Janaco sacrificium sanctis- 6.

Digitized by Google

7. simum, quo nos proficiscemur. Tu quoque, iuvenis no-
bilissime, eodem perges, ubi arcum mirabilem maximi-
8. que pretii visere te oportet. Is arcus immenso robore
terribilis, lucidissimus, olim a consessu deorum datus *illi*
9. est sacrificii occasione. Huic tendendo non Dii sunt pa-
res, nec Fidicines coelestes, nec Titanes, nec Gigantes:
10. quanto minus igitur homines? Quum terrae domini arcus
istius virtutem experiri cuperent, cum tendere non po-
11. tuere validissimi regum filii. Hunc arcum magnanimi
Mithilensium regis, o Cacutsthide, simulque sacrum mi-
12. rabile ibi spectabis. Mithilensis nimirum hocce telum
praestantissimum, firmo umbilico instructum, tanquam
13. sacrificii praemium ab universis Diis expetiverat, in cuius
regis domo id sacrificio impetratum permansit, cohone-
14. statum variis odoribus suffimentisque bene olentibus. Di-
ctis assentiens Râmas, generosae indolis adolescens, ac-
cinxit se ad proficiscendum cum vatibus istis, qui Visvâ-
15. mitram sequebantur. At ipse vir sanctus, discessurus ad
urbem Mithilam, numina silvestria hisce verbis adoravit:
16. Vos omnes, valete! Equidem consummatus, relinquens ere-
mum Consummatum, Himavantis iuga in ulteriore Gangis
17. ripa adibo. Deinde eremo versus dexteram circumam-
bulato, egregius anachoreta, ad septentrionem sese diri-
18. gens, progredi coepit. Proficiscentem comitabantur disci-
puli divinarum rerum studiosi, cum centum non amplius
19. plaustris ad hoc iter paratis. Ferarum mansuetarum quo-
que et volucrum agmina, eremum Consummatum incolen-
tium, comitabantur magnanimum Visvâmitram religionibus
20. divitem. Longum iter permensi, sole iam ad occasum
vergente, anachoretae paravere stationem nocturnam, post-
21. quam ad Soni ripam pervenerant. Post solis occasum,
unda fluviali lustrati, igne sacro ministrato, consederunt

Digitized by Google

circa ducem suum viri gravissimi. Râmas etiam cum Su- 22.
mitride, coetum sanctum veneratus, consedit iuxta Visvâ-
mitram prudentem. Deinde hominum princeps, manibus 23.
iunctis, cognoscendi studio impulsus interrogavit vatem:
Quaenam, vir sancte, est haec regio opulentis incolis 24.
splendens? Hoc discere cupio: tu, quaeso, accurate mihi
enarrare velis. Râmae verbis invitatus Visvâmitras digni- 25.
tate pollens omnem istius regionis memoriam exponere
coepit.

CAPUT XXXIV.

BRACHMADATTIS NUPTIAE.

Fuit magnus rex nomine Cusus, a BRACHMANE oriun- 1.
dus, strenuus in officiis obeundis, recti guarus, virorum
bonorum cultor. Hic magnanimus ex consorte aeque 2.
nobili Vidarbhana genuit quatuor filios sui similes, magno
vigore praeditos: Cusâmbum, Cusanâbhum, Amûrtaraja- 3.
sem, Vasumque, splendidos omnes, magno conatu anni-
tentes, ut ordinis militaris munera explerent. Hosce filios 4.
iustissimos ac veridicos hortatus est Cusus: Assidui estote
in ordinando imperio, quo facto pulcrum virtutis prae-
mium merebimini. Auditis Cusi monitis hi quatuor iuve- 5.
nes regii, civibus valde probati, ad urbes condendas sese
applicuerunt. Magnificus Cusâmbus exstruxit urbem Cau- 6.
sâmbiam, Cusanâbhus vero condidit urbem Mahôdayam;
Amûrtarajasis terrae domini sedes nomen habuit Dharmâ- 7.
ranya; rex magnanimus Vasus denique condidit sibi ur-

Digitized by Google

8. bem, imperii caput, nomine Girivrajam. Haec ipsa terra,
Râma, Vasús istius fuit propria: hinc, ecce, quoquo ver-
9. sus quinque montium iuga eminus cernuntur. Amnis
amoenus et clarus, Sumâgadhes, ad Magadhorum terram
conversus, in medio quinque montium quasi sertum flo-
10. reum nitet. Haec ipsa est terra Magadhensis, a Vasû isto
magnanimo olim possessa, fertilis, frugumque corona re-
11. dimita. Cusanâbhus vero, Raghuide, Sapiens regalis, pius,
e nympha Ghritâchia eximias centum puellas generavit.
12. Hae forma et iuventa decorae, aliquando eleganti cultu
in viridarium egressae, fulgurum instar pluvia anni tempe-
13. state coruscantium, cantantes, saltantes, fidibusque canen-
tes, summa laetitia lasciviebant, exquisito mundo ornatae.
14. Quas quum vidisset toto corpore venustas, forma per
orbem terrarum incomparabiles, Aër omnia permeans ta-
15. lia fatur: Ego vos omnes concupisco, uxoresque vos du-
cam. Relinquatur sors humana: aevum diuturnum nan-
16. ciscemini. Fragilis semper est iuventa, praecipue in ge-
nere humano: vos, perpetuam iuventam nactae, immor-
17. tales puellae fietis. Audito sermone Aëris, impetu inde-
fessi, centum istae puellae, in ludibrium rem vertentes,
18. uno ore respondent: Tu ventorum domine, ut aiunt,
cunctorum animantium penitissima pervadis; nos omnes
potentiam tuam probe novimus: quare contemptim nobis-
19. cum agis? Cusanâbhi filiae sumus cunctae, idoneae sci-
licet, Superûm princeps, quae deum statu suo dimovea-
20. mus; attamen nobilitatem nostram tuemur. Quod utinam
ne tempus unquam adveniat, stulte! — — Non sane,
spreto patre veridico, electionem sponsi ex nostro arbi-
21. trio ambimus. Pater utique est dominus noster: is summi
numinis instar. Cuicunque nos pater nuptum dederit,
22. ille ipse nobis erit maritus. Quarum dictis auditis Aër,

Digitized by Google

potentissimum numen, ira vehementi concitatus, in omnia puellarum membra penitus sese insinuans, ea infregit *spina dorsi detorta.* At puellae Aëris vi infractae patris 23.
domum intravere, humique sunt provolutae, conturbatae, pudibundae, ocellos lacrimis suffusae. Tum rex, dilectas 24.
puellas miseras, modo venustissimas, nunc corpore fractas intuens, ipse conturbatus ex iis quaesivit: Quid hoc? 25.
Narratote, filiolae! Quis aequitatem adeo spernit? A quonam vos gibberae estis effectae? Pariter affectum gestu 26.
significantes, vos omnes siletis. Intellecta prudentis Cusanâbhi quaestione, capitibus pedes eius tangentes, centum istae puellae dixerunt: Aër omnia permeans, o rex, 27.
dehonestare nos conatur: pravam viam ingressus, aequitatem non respicit. Ille idem, libidinis impotens, hoc a 28.
nobis universis responsum tulit: Patrimae sumus; tu vale! Nos non in nostra ipsarum potestate constitutas scias. 29.
A patre nos expete, an forte natas tibi nuptum dederit. Nos non vago arbitrio vivimus: ignoscere nobis, Dive, velis. Ille ad nefas obfirmatus respuit sententiam nostram, 30.
dumque ita loquebamur, Aëris vi cunctae vehementer perculsae fuimus. Quarum sermone audito rex illustris 31.
piissimusque egregiam puellarum centuriam hunc in modum affatur: Patientia temperantes decet, filiae: magnum 32.
officium a vobis expletum est, quod unanimi consensu nobilitatem meam respexistis. Patientia sane est femina- 33.
rum ornatus, utique in virorum iniuriis tolerandis; difficilis autem est patientia, praecipue quando a Coelitibus indigna patimur. Patientia est largitio, patientia fides, 34.
patientia sacrificium, filiolae; patientia est laus, patientia pietas; in patientia situm est mundi moderamen. Hodie 35.
tempus opportunum vos nuptum dandi advenisse equidem omnino censeo. Ite cum bona pace, filiae! exco-

Digitized by Google

36. gitabo aliquid vobis salutare. Sic dimissis puellis rex optimus, recti gnarus, de harum matrimonio consuluit
37. consiliorum socios. Quoniam vero puellae istae ab Aëre ibi olim gibberae factae fuerant, ab eo inde tempore urbs
38. illa Cânyacubja appellari coepta est. Eodem autem tempore vir praeclarus, nomine Chûlines, austerae virilitatis,
39. purissimae vitae, sanctas castimonias exercebat. Ad sapientem sese castigantem accessit Fidicina quaedam coelestis, ut ei famularetur, Urmilae filia, cui nomen erat
40. Sômada. Haec humiliter eum venerata, honestissima femina, assidua in ministeriis ibi habitavit, quo facto sese
41. probavit magistro. Is ergo tempore opportuno animum erga eam declarans, Probasti te mihi, inquit: bene tibi
42. cupio; quid faciam, quod tibi sit gratum? Fidicina, dulci voce praedita, summopere laeta, quum anachoretam sibi propitium cognovisset, ipsa facunda facundiae gnarum
43. affatur: Tu, divina quadam sorte favente, propter sanctimoniam in numinis consortium transiisti; equidem filium
44. opto, divinae sanctimoniae devotum. Coelibem vitam ago, (salve mihi!) neque ullius viri sum uxor. Quandoquidem ad te me converti, o Brachmana, aequum est, ut mihi
45. concedas filium. Fidicinae propitius Sapiens divinus dedit filium egregium, quem Brachmadattem dixere, spiritalem
46. Chûlinis prolem. Ille idem rex Brachmadattes tunc, summa prosperitate fruens, urbem Câmpiliam, sicuti Superûm
47. princeps coelum, incolebat. Pius rex Cusanâbhus autem consilium cepit, ut huic centuriam filiarum nuptum daret.
48. Invitato igitur rege Brachmadatte, vir gravissimus tradidit
49. ei puellas, gaudia corde intimo praecipiens. Harum singularum dexteram, o Raghuide, ex ordine prehendit Brachmadattes terrae dominus, quasi foret Superûm rector.
50. Vix autem manu eius contactae centum istae puellae, pro-

Digitized by Google

tinus gibborum deformitate sanata, curis exsolutae, summa
cum venustate enituere. Rex Gusanâbhus, cernens illas 51.
ab Aëris vi liberatas, magnopere laetatus est, et gaudio
iterum iterumque commotus; celebratis vero nuptiis re- 52.
gem Brachmadattem cum uxoribus honorificentissime ha-
bitum ad imperii sedem dimisit. Ibi Fidicina coelestis, 53.
sicuti decebat, nurus suas benigne excepit, unamquam-
que blande demulcens et Cusanâbhum laudibus extollens.

CAPUT XXXV.

STIRPIS VISVAMITRAE PRAECONIUM.

Quum rex Brachmadattes post nuptias perfectas dis- 1.
cessisset, Cusanâbhus filiis orbus sacrum genitale appa-
ravit. Id sacrificium dum peragebatur, generosissimus 2.
Cusus, Brachmanis filius, *coram visendum se exhibuit*,
et regem Cusanâbhum talibus affatus est: Nascetur tibi, 3.
mi fili, tui similis filius iustissimus, Gâdhes, cuius ope
tu perennem per totum orbem gloriam es adepturus. Ita 4.
compellato rege Cusanâbho Cusus, in aethera sublatus,
rediit ad aeternam BRACHMANIS sedem. Post aliquantum 5.
temporis deinde prudenti Cusanâbho natus est filius iu-
stissimus, Gâdhes nomine dictus. Is pater meus fuit, 6.
pius Gâdhes, vere fortis; e Cusi prosapia ego sum ori-
undus, generatus a Gâdhe, o Raghuide. Exstiterat mihi 7.
quoque soror natu maior, femina casta, Satyavatidis no-
mine insignis, coniugio iuncta Richîco. Generosissima 8.
haec Causicis, maritum prosecuta, cum ipso corpore in

Digitized by Google

coelum evecta est; eadem in magnum fluvium conversa.
9. Nunc soror mea coelestis, Himavantis iugo suffulta, animantium recreandorum gratia aquae purae rivum amoe-
10. num inde profundit. Quapropter ego religionibus intentus Himavantis clivum iucunde incolo, cum sorore mea
11. Causicide mutuo amore coniunctus. Ipsa vero Satyavatis, casta, propter fidem celebrata, marito dedita, nobilis
12. Cusidarum proles, inter nymphas fluviales eminet. Voti solvendi gratia equidem, relicta illa, huc me contuli; et in eremum Consummatum secedens, tua virtute, o Râma,
13. sum consummatus. Sic tibi originem prosapiae nostrae declaravi, veteresque huius regionis memorias, fortissime
14. iuvenis, qua de re tu me interrogasti. Iam praeteriit media nox, Cacutsthide, me tecum confabulante. Nunc somno indulge: salvus sis, neque ullum impedimentum
15. in itinere nobis obstet. Immotae stant arbores cunctae, ferae et volucres in cubilibus latent, nocturnisque tene-
16. bris obductae sunt coeli plagae. Sensim evanescit crepusculum, polus quasi oculis cingitur; densa siderum
17. stellarumque silva scintillis undique effulget; oriturque luna, frigidum sidus, tenebras dispellens, lumine suo
18. exhilarans animantium per orbem terrarum corda. Noctivaga quaequae sunt animalia hinc inde proserpunt, Geniorum etiam Gigantumque agmina, truculentique Lemu-
19. res carnivori. Ita profatus conticuit vates gravissimus. Anachoretae eius comites cuncti, Euge! pulcre! exclaman-
20. tes, eum sunt venerati. »Magna est ista prosapia Cusidarum, recti semper studiosa; BRACHMANI similes fuerunt magnanimi principes, a Cuso genus repetentes: imprimis
21. tu, vir venerande, fama celebratissimus; et soror tua Causicis, inter nymphas fluviales eminens, novum splendo-
22. rem gentilitium tibi affert.« Ita laudatus ab egregiis ana-

Digitized by Google

chorctis faustus Gâdhis filius somno sese tradidit, instar solis ad occasum vergentis. Râmas quoque cum Sumi- 23.
tride, nonnihil admiratione commotus, laudato vate praestantissimo, ad somnum se composuit.

CAPUT XXXVI.

Nymphae Gangae origo.

Residuum noctis commoratus ad Sôni ripam cum 1.
Sapientibus Visvâmitras, quam primum illuxerat, comitem compellavit: Nox iam luci cessit, Râma; crepuscu- 2.
lum matutinum apparet. Surge, age! surge, sodes! Ad iter prompto sis animo. Cuius adhortatione audita, Râ- 3.
mas religionibus matutinis functus ad iter sese accinxit, atque hunc sermonem protulit: Praefluit hinc Sônus, 4.
aquis iucundis, profundus, insulis distinctus; utra via, o Brachmana, nos traiecturi sumus? Sic interrogatus a 5.
Râma Visvâmitras respondit: Haecce est via a me monstrata, qua vates pergere solent. Deinde longum iter 6.
emensi, media iam diei hora exacta, conspexere Gangem, fluviorum praestantissimum, ab anachoretis cultum. Viso 7.
amne, aquas sanctas profundente, a cycnis gruibusque circumvolitato, cuncti anachoretae pariterque Raghuidae laeti fuere. Ad eius ripam communi opera pernoctandi 8.
apparatum ordinarunt; et lavatione rite lustrati, aqua Manibus Divisque libata, latice pingui in ignem iniecto, 9.
et gustato eius residuo nectari aequiparando, consederunt in Jahnuidis ripa, placidi, animoque exhilarato, un- 10.
dique cingentes Visvâmitram magnanimum; ceteri, sicuti

Digitized by Google

decebat, paullo remotiores, ambo Raghuidae pro digni-
11. tate *propius ei assidentes.* Tum Râmas, gaudio elatus,
ad Visvâmitram se convertens, Vir sancte, inquit, Gan-
12. gae, nymphae TRIVIAE, originem discere cupio. Excita-
tus Râmae verbis magnus vates Visvâmitras Gangae gene-
rationem et incrementum narrare orditur.

13. Montium princeps est, inquit, qui dicitur Himavan-
tes, ingens metallorum penetrale; huic natum est par
puellarum, forma per orbem terrarum incomparabile.
14. Quarum quae mater ambarum exstitit, Mêrus erat filia,
tereti latere decora, nomine Mêna: venusta sane femina,
15. uxor Himavantis dilecta. Ea partu edidit hancce Gan-
gam, filiam Himavantis natu maiorem; altera eiusdem
16. nata appellata est Uma. Postea Superi omnes, officiorum
divinorum studiosi, puellam natu maiorem a montium
principe in matrimonium petierunt, Gangam, nympham
17. Triviam. Himavantes, pietate motus, triplicem mundum
iuvare cupiens, tradidit iis filiam, orbis lustratricem,
18. Gangam sponte sua vagabundam. Divi, grate accepta
Ganga triplicis mundi tramites permeante, in sedes suas
19. redierunt, ex animi sententia optatorum compotes. Quae
autem secundo loco genita erat montis filia, ea, austeris
religionibus addicta, castimonias exercuit casta virgo.
20. Hanc filiam suam severissimae sanctitatis mons excelsus
nuptum dedit Rudro (*Sivae*) incomparabili, Umam, per
21. orbem universum adoratam. Tales exstiterunt binae hae
montium regis natae: Ganga, nympharum fluvialium prae-
22. stantissima, tum vero Uma inter deas eminens. Illa ea-
dem igitur montium principis filia, fluvii coelestis prae-
ses, ad Superos ascendit, ab omni labe pura, aquas
amoenas profundens.

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

Umae magnanimitas.

Vix finito istius sermone, ambo iuvenes fortes, Ra- 1.
ghuides et Laxmanus, narrationem cum plausu excipien-
tes, vatum principem compellarunt: Narrata nobis est a 2.
te, Brachmana, sanctissima rerum divinarum memoria;
nunc exponere velis de filia montium regis natu maiore:
quam ob caussam mundi lustratrix illa tres trámites flu- 3.
ctibus proluat? quaenam opera, vir sancte, eadem in
tribus mundis perfecerit? Talia dicente Cacutsthide, Vi- 4.
svâmitras religiosissimus in anachoretarum coetu totam
narrationem a principio explicuit. Olim, mi Râma, in- 5.
quit, post nuptias factas sanctus Caerulicervicus et Uma
dea aemulatione mutua ad concubitum sese converterunt.
Dum sollers Caerulicervicus, numen potentissimum, in 6.
Deae sinu delectabatur, centum anni divini elapsi sunt.
In tali Cupidinis certamine neuter coniugum vinci semet 7.
passus est, nec vero etiam diva progeniem inde conce-
pit, o Râma, hostium domitor. Tunc Superi turbati, 8.
Magno Parente duce, *secum reputabant:* Quae hic gene-
ratur proles, quis eam sustinere poterit? Omnes igitur 9.
adierunt deum, qui iuvenem in vexillo gestat, et humi-
liter adorantes magnanimum Caerulicervicum his verbis
allocuti sunt: Divûm Dive, fauste, qui omnium animan- 10.
tium salute gaudes! Superûm supplicationi propitium esse
te decet. Non tolerare poterunt mundi seminis tui pro- 11.
geniem, Coelitum praestantissime: sanctis votis adstrictus
cum coniuge tua Diva castimonias exerce. Triplicis mundi 12.

Digitized by Google

servandi studio motus, vigorem masculum tuum ipso vigore cohibe. Sospita hancce animantium universitatem;
13. noli naturae vastitatem efficere. Audito Superûm sermone potentissimus mundi dominus, hac voce: Fiat! prolata,
14. iis annuit, ac porro ita loqui orditur: Cohibebo equidem coniunctim cum Uma vigorem meum masculum ipso vigore. Tum Coelites, tum terra, placida quiete fruan-
15. tur. Sed dicant mihi Superûm primores, semen meum, vigoris plenissimum, quod e sede sua excitatum est, quis
16. hoc sustinebit? Ita interrogati Superi responderunt deo iuvencum in vexillo gestanti: Quod semen hodie tibi ex-
17. citatum est, id tellus sustinebit. His dictis admonitus Coelitum princeps vigorem suum masculum in terrae solum effudit; quo tellus cum montibus silvisque plane
18. penetrata est. Tunc Superi denuo hunc in modum Ignem adhortari: Aggredere tu cum Aëre consociatus mirificum
19. Rudri semen. *Ambobus hisce deûm iussa alacriter exsequentibus*, id ab Igne rursus penetratum est; inde ex-
20. stitit mons Candidus, nec non divina silva Arundinea, flammae solisque iubar referens, ubi natus est strenuis-
21. simus Cârticeius, ex igne ortus. Deinde Superi pariterque Sapientum coetus tum Umam tum Sivam magnopere
22. venerati sunt, summo gaudio affecti. At montis nata Coelites intuens, oculos prae ira rubore suffusa, indi-
23. gnabunda diras omnibus imprecari: Quoniam ego, prolis desiderio congressa cum marito, impedita sum a vobis, vestrae quoque uxores ab hoc inde die steriles sunto.
24. His dictis quum omnes Superos obiurgasset, tellurem quoque detestata est: »O Terra, tu varias conditiones
25. patieris, multorumque uxor eris; ac mea indignatione contaminata laetitiam filiorum partu non es adeptura;
26. maligna, quae mihi prolem masculam invidisti. Tunc

Digitized by Google

deorum princeps (*Sivas*), quum Superos pudore confusos videret, accinxit se ad proficiscendum versus plagam coeli a Varuno custoditam [1]). Ibi dominus potentissi- 27.
mus, consociatus cum Diva, ad latus septentrionale montis in excelso Himavantis vertice castimoniis sese dicavit. Ita tibi exposui narrationem de dea Montigena, o Râma; 28.
nunc tu cum Laxmano Gangae originem quoque a me traditam accipe.

---

1) Id est *occidentalem*. Interpretes Srîrâmapurenses *septentrionalem* substituerunt, veriti fortasse, ne poëta sibimet ipsi non satis constaret, dum in sequenti disticho addit, Sivam ad latus septentrionale Himavantis secessisse. At meminerimus, res paullo ante narratas in deorum sedibus peractas fuisse, circa montem Cailâsum, qui hodieque ab incolis regionis Tibetanae ultra lacum Mânasum monstratur. Hinc longe versus occidentem porriguntur Himavantis iuga, et quidem versus occasum aestivum, ultra Casmiriae terminos; ut itaque Sivas a Cailâso profectus eo devenire debuerit. Cf. AM. SINH. *ed. Col.* p. 13. Enumerantur ibi custodes plagarum coelestium, tum cardinalium, tum intermediarum, hunc in modum, ut initium ab oriente fiat, et inde versus dexteram in orbem circumeatur. Quintus locus, i. e. occidens, Varuno tribuitur. Aliter MANUS (VII, 4.), qui neque ordinem plagarum servare voluisse videtur, et inter custodes mundi Solem Lunumque recipit, Sivam contra, Nairritumque, daemonum praesidem, excludit. Sed credibile est, poëtam epicum aeque ac lexicographum opinionem maxime vulgatam expressisse. Denique Varuno optime convenit occidens, quia hac ex parte, ab Indi ostiis inde, latissime patet mare Erythraeum.

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

Carticeii generatio.

1. Dum deorum princeps Trioculus castimonias exer-
cebat, Coelites, exercitus sui ducem desiderantes, Ma-
2. gnum Parentem adierunt, et supplicum habitu, uno ore,
cum ducibus suis, Indra atque Igne, almum rerum Pa-
3. rentem faustis hisce verbis affati sunt; Qui nostri exer-
citus dux olim a te, venerande, nobis datus fuerat, is
ad eximias castimonias exercendas cum Uma secessit.
4. Quid interim faciendum sit salutis animantium gratia,
moderare tu, utpote moderaminis gnarus: tu ultimum
5. nobis es perfugium. Intellecto deorum sermone Magnus
mundi universi Parens, placidis dictis consolatus Coeli-
6. tes, haec respondit: Quod a dea Montigena dictum est,
vos ex uxoribus vestris prolem non esse generaturos, id
7. effatum fatale, ne dubitetis, irritum fieri nequit. Sed
adest, ecce! Ganga aethera perambulans, ex qua Ignis,
qui sacris vescitur, generabit exercitus deorum ducem,
8. hostium domitorem. Natu maior montium regis filia hunc
filium fovebit, neque dubitandum est, hoc magnopere
9. ab Uma probatum iri. Quo sermone audito Superi, optati
compotes, venerabundi Magnum Parentem adorarunt.
10. Cuncti igitur profecti ad montem Cailâsum metallis gem-
matum, Igni mandarunt, ut filium generandum curaret.
11. »Tu, qui sacris vesci soles, hocce deorum negotium
perficiendum suscipe. Emitte semen potentissimum in
12. montis filiam Gangam.« Ignis Superis opem suam polli-
citus, Gangam adiit, et, Concipe foetum ex me, Diva!

Digitized by Google

inquit; quandoquidem Superis ita placet. Quibus dictis 13.
auditis, illa formam aetheriam assumpsit, *et undarum aestuantium ambagibus eius impetum elusit.* Ignis au- 14.
tem, visa nymphae superbia, quoquo versus sese dilatavit, et undique eam irroravit. Quum omnes Gangae tor- 15.
rentes ab eo oppleti essent, divinorum sacrorum antistitem (*Ignem*) ea protinus affatur: Non sufficio, dive, tolerando 16.
vigori tuo masculo, nimis vehementi; uror flammis hisce, et plane animi angor. Tunc Ignis, qui omnium deorum 17.
sacris vescitur, Gangae respondit: Hic ad Himavantis radices hicce foetus deponatur. Illa, Ignis dicto intellecto, 18.
foetum splendidissimum, semen mirabile, e torrentibus suis effudit. Quod ex illa effluxerat purum, micans sicut 19.
arena Jambûnadi fluvii 1), quam primum terram contigit, in aurum mutatum est. Ex acritudine porro aes ac me- 20.
tallum ferrugineum nascebatur; quae hisce sordes inerant, eae in stannum et plumbum convertebantur. Vix autem 21.
eiecto foetu, radiis eius illuminatum totum istud nemus monte cinctum aureum est factum. Aurum purum pul- 22.
cro colore effulsit, ex Ignis vigore natum, quasi corporea Ignis forma, JATARUPA ab eo inde tempore dictum, o Raghuide. Deinde puerum conspicati Ventorum gre- 23.
ges Indra duce, ut lac ei suppeditarent, CRITTICAS arcessivere, *nutrices eius futuras.* Hae, consilio capto, post- 24.
quam egregiam sibi conditionem pepigerant, ut ipsarum in commune filius diceretur, vix nato lac praebuere. Dii 25.
universi, illis assentientes, Ne dubitetis! inquiunt; puer hic per triplicem mundum CARTICEII nomine celebrabi-

1) Est fluvius aurifer, ex monte Mêrû, quem fabulabantur, scaturiens, unde unum e multis auri nominibus deducitur.

Digitized by Google

26. tur, quasi Critticarum filius. Quorum sermone audito, nutrices foetum abortu ex utero elapsum abluerunt, sum-
27. ma cum venustate ignis instar radiantem. Superi vero, quoniam abortu ex utero elapsus fuerat, Cacutsthide, SCANDUM quoque dixere Cârticcium, validis lacertis prae-
28. ditum flammaeque similem. Praesto deinde fuit lac praestantissimum sex Critticarum, quem laticem ex mammis
29. enatum puer sex ora gerens imbibit. Quo lacte hausto is uno die iuveniliter protinus adolevit, et bellica forti-
30. tudine sua Ditidarum agmina devicit 2). Hunc splendidissimum Immortales universi, Igne duce congregati, coelestis exercitus imperatorem aqua lustrali inaugurarunt.
31. Sic tibi, mi Râma, nymphae Gangae propaginem declaravi, nec non felicem sanctamque Cûmâri originem.

---

2) Haud difficilis est ad divinandum allegoria, quae hisce fabulis subest. Deus Martius Sivae filius fertur, numinis potentissimi, a cuius nutu hominum fata alternaeque vitae et mortis vices pendent. Idem tamen ignis ope in lucem prodit, quia acerrimo tum animorum, tum corporum impetu bella geruntur. Simul cum eo gignuntur metalla, aes, ferrum, reliqua, e quibus similiter ignis ope fusis et excoctis tela et arma, loricae, scuta, galeae, procuduntur. Gangis nympha deponit haec metalla in montium sinu, quia in iis plerumque eorum venae reperiuntur. Sex *Critticae* sunt totidem Pleiadum stellae, septimam enim Indi non curant. Pingitur autem hoc sidus apud eosdem sub specie novaculae (Sanscrite *krittikâ*), et inter domus lunares tertium locum occupat. Cf. As. Res. II, p. 293. Critticae significant igitur tela varii generis, ad pungendum aut secandum apta: sagittas, gladios, acinaces, iacula, hastas, secures. Lac, quod hae nutrices puero Martio praebent, est sanguis e vulneribus effusus, quo bellum magis magisque crudescit. Similis est fabula de Hercule, cui Iuno, ignara quis pueri pater esset, mammam prae-

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

SAGARIDARUM PROCREATIO.

Causicus, quum Râmae edocendi gratia prolatam 1.
hanc suavem narrationem absolvisset, alium denuo sermonem coram Cacutsthide orsus est. Fuit olim, o heros! 2.
inquit, rex Ayodhyae dominus, Sagarus nomine, pius;
is, prolis cupidus, prole carebat. Sagaro coniux pri- 3.
maria erat Vidarbhorum regis filia, Cêsinia dicta: femina piissima ac veridica. Idem Arishtanêmis natam, 4.
forma per orbem terrarum incomparabilem, secundo
loco uxorem duxerat, quae Sumatis nomen habebat. 5.
Cum duabus hisce uxoribus magnus ille rex ad Himavantem secedens, in monte, unde Bhrigus amnis scaturit [1]), castimonias exercuerat. Deinde, centum annis 6.
expletis, propitiatus castimoniis Bhrigus, inter vates veridicos eminens, Sagaro bonum largitus est *his verbis:*
»Ampla prolis impetratio tibi continget, vir innocue; 7.

---

huerat, unde is subito ex infante in adolescentem excrevit; quam fabulam paterae Tuscae elegantissime incisam vidimus.

1) Sanscrite: *brigu-prasravana*; epitheton ambiguum, quia prius compositi membrum vel appellativi, vel nominis proprii vices sustinere potest. Prior ratio est paullo contortior; alteram praetuli: facile enim fieri potuit, ut rivus nomen a viro sancto traheret, qui secessum prope eius fontem sibi elegisse tradebatur. Sed nullo modo ex hoc vocabulo elici potest, quod interpretes Angli expresserunt: *in whose sacred stream Bhrigu constantly bathed.*

Digitized by Google

famamque in terris incomparabilem tu, hominum prin-
8. ceps, adipisceris. Altera uxorum tuarum generabit primo
loco tibi, amice, natum stirpis propagatorem; altera
9. deinde partu editura est sexaginta filiorum millia.« Am-
bae reginae, regum filiae, virum praestantissimum, dum
loquebatur, conciliare sibi studentes, summo gaudio affe-
ctae, manibus suppliciter protensis eum percunctari:
10. »Utra nostrum, Brachmana, unum habebit filium? utra
multos numero partu editura est? Hoc accurate discere
11. cupimus. Ratum esto dictum tuum.« Quo illarum ser-
mone audito Bhrigus sanctissimus suavi voce respondit:
12. Libero hac in re arbitrio utimini! Utrivis vestrum vel
unicus stirpis propagator nasci potest, vel multi, manu
fortes, fama celebrati, magnis conatibus pares. Utra ve-
13. strum utrum munus expetit? Vatis dicto intellecto, Ra-
ghuide, Cêsinia coram rege sibi elegit filium stirpis pro-
14. pagatorem. Sumatis deinde, pulcre pinnati Garudae so-
ror, sexaginta millia filiorum elegit, qui magnis conati-
15. bus pares et fama illustres futuri essent. Rex autem,
vatem istum versus dexteram circumambulatum capite
demisso veneratus, cum uxoribus ad imperii sui sedem
16. remeavit. Postea, tempore progrediente, coniux ordine
prior Cêsinia Sagaro filium peperit, cui Asamanjae no-
17. men factum est. Sumatis vero, iuvenis fortissime, foe-
tus vice cucurbitam peperit 2), e qua cortice rupto sexa-
18. ginta filiorum millia prodiere. Hosce pusillos nutrices in
urceis liquida lactis pinguedine plenis fovebant, donec

2) Lusus etymologicus huic fabulae subesse videtur, siquidem Ixvâcûs nomen, qui Manûs filius stirpis illius regiae auctor fertur, a quodam cucurbitarum genere desumptum est.

Digitized by Google

post diuturnum tempus iuventae vigorem tandem nacti essent. Tunc exstitere Sagaro sexaginta filiorum millia, 19.
cuncti aetate aequales, fortitudine pariter insignes. Natu 20.
maximus quidem Sagari filius, o princeps, Asamanjas hostium vexator inter illos imperii heres constitutus erat. At is puerulos correptos in Sarayûs undas 21.
coniicere solebat, quos quum mersos cerneret, insuper irridebat. Facinora adeo nefaria ausus, virorum bono- 22.
rum insectator, in civium perniciem intentus, a patre ex urbe in exsilium actus est. Huius Asamanjae exstitit filius, 23.
nomine Ansumantes, fortitudine insignis, qui universo populo probatus ipse quoque erga omnes sermone comi utebatur. Longo tempore post Sagarus animo concepit 24.
consilium sacrificium equinum celebrandi. Quod quum 25.
faciendum esse decrevisset, comitatus religionum magistris, ipse quod ad ritum sacrificum attinet Vedorum guarus, sacrificium inchoavit.

CAPUT XL.

Terra effossa.

Audito Visvâmitrae sermone Raghuides, summo gau- 1.
dio affectus, in narrationis fine anachoretam flammae instar splendentem allocutus est: Salve, Brachmana! Au- 2.
dire cupio fusius explicatam hancce narrationem, quomodo atavus meus sacrificium istud obtulerit. Visvâmi- 3.
tras contra leniter arridens Cacutsthidae respondit: Audiantur itaque res gestae Sagari magnanimi. In terra illa, 4.

Digitized by Google

ubi beatus Sivae socer, Himavantes, montium excelsissimus, et mons Vindhius, quasi aemuli invicem sese ad-
5. spiciunt, in horum montium medio, optime adolescens, sacrificium apparabatur: etenim haec regio sancta prae
6. aliis laudatur tanquam ad operandum sacris idonea. Ansumantes autem arcitenens, magno curru invectus, mi filiole, equi curam susceperat, Sagari consilio obsequens.
7. Tunc interlunii die, dum ille sacrificium inchoabat, Vâsavus (*Indras*), forma Gigantea assumpta, equum sacrifi-
8. calem abstraxit. At equo isto regis magnanimi surrepto, omnes religionum magistri Sagarum operantem hunc
9. in modum compellarunt: Equus sacrificio destinatus, ecce! interlunii die subito impetu abstractus est. Tu ergo, caeso equi raptore, ipsum equum fac ut reducas.
10. Haec est sacri turbatio, in omnium nostrum perniciem eruptura; quapropter omnimodo curetur, o rex, ut im-
11. perturbato sacro litari possit. Magistrorum oratione in consessu isto audita, terrae dominus sexaginta filiorum
12. millia ad se convocata his dictis affatur: Filii mei, viri fortissimi! Non intelligo, quomodo Gigantes tantum valuerint; siquidem sacerdotes, auctoritate graves, carmi-
13. nibus lustrati, eximium hoc sacrum instituerunt. Quisquis ille sit, sive ad sedes infernas profectus, sive in aequoris profundo latens, caedite raptorem et equum
14. mihi reducite, filioli: quod bene vobis vertat! Tellurem universam Oceano redimitam peragrate, eamque progrediendo diligenter effodite, donec quadrupedem con-
15. spexeritis. Singuli per unius parasangae spatium terrae solum diffindentes pergite, meoque iussu equi nostri
16. raptorem persequimini. Equidem, praeviis caeremoniis lustratus, una cum nepote ac religionum magistris hic ibidem permanebo, donec quadrupedem conspexero.

Digitized by Google

Vos interim valete! Illi omnes validissimi iuvenes regii, 17.
alacri animo, patris dicto excitati, tellurem peragravere.
Singuli hominum principes usque ad parasangae longi- 18.
tudinem solum terrestre diffindere lacertis fulminum
ictus aequantibus. Tellus autem, verutis fulgurum simi- 19.
libus vomeribusque acerrimis a Sagaridis diffissa, prae
dolore ingemuit. Tunc monstrorum infernorum, quae 20.
effossis latebris cuccabantur, Raghuide, Serpentum, Ti-
tanum Gigantumque clamor horrendus tollebatur. Isti 21.
omnes truculenti per sexaginta millia parasangarum tel-
lurem diffiderunt usque ad inferos. Hunc in modum, 22.
princeps praestantissime, regis filii Jambûs insulam mon-
tibus cumulatam effodientes undique circumibant. Quo 23.
facto Divi una cum Fidicinum, Titanum Serpentumque
agmine, cuncti animo conturbato Magnum Parentem adire.
Cuius numine propitiato, moestitiam vultu prae se feren- 24.
tes, vehementer territi Magnum Parentem his verbis affati
sunt: Alme! tellus universa a Sagari filiis effoditur, his- 25.
que fodientibus, o BRACHMAN, ingens fit animantium stra-
ges. »En! hic ille est sacri nostri direptor! ab hoc 26.
equus fuit abductus!« ita increpantes Sagaridae caedunt
cuncta animantia.

Digitized by Google

CAPUT XLI.

CAPILI CONSPECTUS.

1. At oratione deorum audita almus rerum Parens perter-
2. ritos fatique vi ineluctabili amentes contra admonuit: Prudens Vâsudêvus [1]), Madhûs interfector, cui amplissima

---

1) *Vâsudêva* est notissimum Crishnae cognomen, cuius pater mortalis, itidem *Vasudêva*, sed prima vocali brevi dictus, *Anacadundubhi* filius fuisse traditur. AM. CO. *ed. Col.* p. 4, sl. 17. Nimirum productione primae syllabae patronymica formari solent. At in tota Râmeïde nusquam alias, quod sciam, Crishnae mentio iniecta est, nec legitime iniici poterat. Etenim constans est traditio, Crishnam multis demum seculis post Râmam nostrum, qui ordine secundus est, inter homines versatum fuisse. Nullo autem loco magis incongrua foret Crishnae mentio, quam in hoc sermone, quem poëta Sagaro superstite Brachmanem protulisse narrat; qui quidem Sagarus inter Râmae proavos vigesimus a Dasaratha numeratur. Cf. L. I, CAP. LXX. Sane in mythologicis temporum computatio non nimis est urgenda. Historicus Casmirensis notat dissensionem de bello inter Pânduidas et Curuidas gesto, Bharateae argumento, quod nonnulli auctores ad tertiae aetatis (*dvâpara-yuga*) finem retrahebant, ipse cautius medio seculo septimo post initium quartae aetatis (*cali-yuga*) ponit. AS. RES. VOL. XV, p. 97. Attamen apparet, Crishnae famam multo serius quam Râmae per Indiam celebrari coeptam fuisse. Exstitit Crishnas quodammodo Râmae aemulus, quippe cuius cultores hunc vetustiorem heroëm participem quidem divinae naturae fuisse fatebantur, in illum autem integrum numen transiisse affirmabant. Mihi Râmeïs maxima ex parte ante Bharateam, in qua Crishnas partes primarias agit, composita videtur. Sed

Digitized by Google

haec Tellus carae coniugis loco habetur: ille idem almus dominus, Capili propriam formam indutus 2), terram con- 3.
tinuo custodit. Huius ira incensa comburetur regia proles. Telluris quoque diruptio fatalis dudum praevisa fuit, nec 4.
non filiorum Sagari pernicies, ab illo ventura longe prospiciente. Magni Parentis dictis auditis, hostium domitor, 5.
Divi isti TRIGINTA TRES 3), summo gaudio affecti, eodem abiere unde advenerant. Dum terra diffindebatur, stre- 6.
nuissimorum Sagari filiorum insonuit vastus procellae

---

haec est quaestio altioris indaginis, quam nunc diiudicare velle, praeposterum foret. Quicquid eius sit, Vâlmîcem, sive verum, sive personatum, Vishnûs ἐπιφανείαν sub Crishnae persona prorsus ignorare decebat. Quid igitur? Num nomen istud, quod et commentatores et Bengalici codices agnoscunt, ab interpolatore quodam huc intrusum dicemus? Equidem potius arbitror, *Vâsudêva* antiquum et genuinum Vishnûs cognomen fuisse, postea ad patronymicam significationem detortum. Quamnam ob caussam Vishnus sic dictus fuerit, id quidem non liquet; sed alludunt eo alia vocabula: *vasu*, *vâsava*, *vâsu*, de quibus cf. WILS. LEX.

2) De hoc Vishnûs cognomine et munere non habeo, quod expromam. Vix opus est monere, plane hinc alienum esse *Capilum*, philosophiae rationalis (*sânkhya*) auctorem; quamvis et hunc discipuli nimis ambitiosi numinis plenum, imo ipsum in mortali corpore praesentem Vishnum fuisse iactaverint. Quam opinionem innuit auctor *Bhagavad-gîtae*, LECT. X, 26.

3) Interpretes Angli eos hunc in modum enumerant: octo Vasues, undecim Rudri, duodecim Adityae, Asvinia et Cumârus. Quod utrum recte se habeat necne, vix dicere ausim. Videtur autem numerus esse solennis, ex doctrina nescio qua sacerdotali petitus; quippe quem in Zoroastri libris saepius simili modo memoratum legimus. Cf. VENDIDAD. *ed. Bournouf.* p. 9, lin. 10. 11.

Digitized by Google

7. instar strepitus. Deinde tellure universa diffissa ac versus
dexteram circumambulata, Sagaridae cuncti patrem ad-
8. euntes talia dicta protulere: Peragrata est tellus universa,
enecatique animantes terrigenae, Divi, Danuidae, Gigan-
9. tes, Lemures, Angues, Serpentes; nihilo magis tamen
equum tuum conspicimus, vel equi raptorem denique.
Salve! Quid facere nos iubes? Hac de re consilium pen-
10. sitetur. Filiorum sermone intellecto, Raghuide, rex po-
11. tentissimus Sagarus, irae plenus, illis haec regerit: Porro
fodite, sic bene sit vobis! Post terram diffissam rapto-
12. remque repertum perfecto negotio huc revertimini. Patris
sui, Sagari magnanimi, iussa exsecuturi, sexaginta filio-
13. rum millia ad sedes infernas ruere. Quibus effossis, con-
spexere deinde unum ex elephantis versus quaternas pla-
gas coelestes constitutis, montis instar excelsum, Virû-
14. pâxum, terrae solum sustinentem. Immanis haec bellua,
Raghuide, orbem terrarum universum cum montium iugis
15. saltibusque capite sustinebat. Quandocunque magnus ille
elephas interlunii vel plenilunii tempore sui sublevandi
gratia prae lassitudine caput quassat, tunc terrae motus
16. fieri solet. Sagaridae magnum hunc elephantum, plagae
coelestis custodem, quum versus dexteram circumambu-
17. lassent, infera effodiendo ulterius progredi. Deinceps,
plaga orientali relicta, australem effoderunt. In australi
quoque plaga conspexere alterum belluarum principem.
18. Quem magnum elephantum Mahâpadmum, montis instar
excelsum, tellurem capite sustentantem conspicati, in ad-
19. mirationem rapti sunt. Hunc illi, sexaginta magnanimi
Sagari filiorum millia, postquam versus dexteram circum-
20. ambulaverant, plagam occidentalem effoderunt. In occi-
dentali quoque plaga viri fortissimi conspexere elephan-
tum huic regioni suppositum Saumanasum, ingentem,

Digitized by Google

montis instar excelsum. Quem versus dexteram circum- 21.
ambulatum quum interrogassent, num recte valeret, fo-
dientes deinde perrexerunt ad plagam a Cuvero custo-
ditam. In septentrionali regione, Raghuide, conspexere 22.
Himapândurum faustum, faustis notis insignitum, tellurem
hancce sustentantem. Cuncti, ad sexaginta filiorum millia, 23.
quum eo accessissent, elephanto versus dexteram circum-
ambulato, infera porro diffindere. Deindè Sagaridae 24.
progressi ad plagam laudibus celebratam, quae inter
septentrionem et orientem sita est, ira incitante terram
perfoderunt. Ibi vero hi pariter magnanimi, tremendo 25.
impetu et robore praediti, conspexere Capilum, Vâsudê-
vum aeternum, atque haud longe a deo remotum equum 26.
per campos vagantem. Tum, gaudio incredibili elati, illum 27.
scilicet equi raptorem esse arbitrati, oculis prae ira
flagrantibus cuncti illum incursare, simulque, Tene! tene!
clamare. Tu profecto nobis quadrupedem sacrificalem 28.
surripuisti. Iam tu, sceleste, scito, nos Sagari filios
comprehensum te tenere. Horum sermone audito Capi- 29.
lus, ira vehementi commotus, gravem fremitum ore
emisit. Quo facto protinus immensi illius Capili ma- 30.
gnanimi nutu in cineris acervum conversi sunt cuncti Sa-
garidae.

Digitized by Google

CAPUT XLII.

PROCURATIO SACRIFICII A SAGARO SUSCEPTI.

1. At rex Sagarus, secum reputans iam dudum profectos esse filios, affatus est nepotem suo ipsius vigore
2. splendentem: Tu es bellicosus, rerumque peritus, antiquis heroïbus vigore aequiparandus; investiga iter patruo-
3. rum tuorum, et cuiusnam iussu equus sit abreptus. Subterranea animalia valida sunt atque immania: quae ut abs
4. te propulsare possis, prehende tu arcum ensemque. Veneratus venerabiles, occisis deinde turbatoribus, confecto negotio huc revertere, sacrificium meum ad finem per-
5. ducturus. Sic rite compellatus a Sagaro magnanimo Ansumantes, postquam arcum acinacemque sumpserat,
6. levi passu profectus est. Regis hortatu, o princeps, progrediebatur is per viam subterraneam a patruis magnani-
7. mis effossam. Ibi conspexit vir fortis elephantum sub mundi cardine collocatum, quem Divi, Danuidae, Gi-
8. gantes, Lemures, Alites Serpentesque venerantur. Hunc ille versus dextram circumambulatum rogavit, an recte valeret; deinde de patruis suis sonipedisque raptore per-
9. cunctatur. Elephantus vero, hisce auditis, magni consilii iuvenem contra affatus, Asamanjide! inquit, confecto negotio
10. tu brevi cum equo remeabis. Cuius tali dicto audito ille omnes elephantos sub mundi cardinibus collocatos
11. ex ordine apte interrogare perrexit. Ab hisce mundi custodibus fandi doctis ipse facundus honorifice habitus gratum responsum tulit, se cum equo rediturum esse.
12. Quorum dicto audito levi passu illuc progressus est, ubi

Digitized by Google

cius patrui Sagaridae in cineris acervum conversi iacebant. Tunc vero Asamanjae filius, doloris vi superatus, 13.
miserabiliter eiulavit, caedem istorum lugens. Haud 14.
longe inde equum sacrificio destinatum libere vagantem
vidit hominum princeps, dolore ac moestitia afflictus.
Ille quidem Manibus regiae prolis libationem facere cu- 15.
piebat iuvenis fortis, sed laticis puri egenus nullum aquae
lacum deprehendit. Circumlata deinde oculorum acie 16.
conspexit alitum regem, patruorum suorum avunculum,
pulcre pinnatum Garudam [1]), montis instar excelsum.
Iste Vinatae natus praevalidus eum his verbis allocutus 17.
est: Noli moerere, hominum princeps! Caedem istam
orbis universus comprobavit. A Capilo inexsuperabili 18.
combusti sunt hi iuvenes praevalidi. Neque te, vir pru-
dens, oportet iis aquam terrestrem dare: Ganga, Hima- 19.
vantis filia natu maior, mundum universum lustrans, in
cinerem conversos undis suis perfundat. A nympha ista, 20.
quam mundus in deliciis habet, irrigatus cinis hicce se-
xaginta Sagari filiorum millia ad orbem coelestem evehet.
Gangam adduc, quod bene tibi eveniat, a Superûm se- 21.
dibus: Gangae descensus efficiatur, si tantopere vales.
Nunc, equo recepto, eadem via regredere, qua huc 22.
advenisti; etenim tuum est, o iuvenis, avi tui sacrificium
ad finem perducere. Audita Garudae oratione fortissi- 23.
mus Ansumantes, fama celebratus, equo festinanter pre-

---

1) Sagaridarum mater *Garudae soror* dicitur, c. XXXIX, 14; eadem *Arishtanêmis* filia, ibid. dist. 4. Attamen fateor, me hanc cognationem non satis expedire, quandoquidem Garudas matrem habuit *Vinatam*, patrem *Casyapum*. Nisi forte Arîshtanêmis sit aliquod Casyapi cognomen, quod quidem nusquam memoratum invenio.

Digitized by Google

24. henso, iter retro relegit. Quamprimum convenerat regem caeremoniis praeviis operatum, o Raghuide, certiorem eum
25. fecit de rei eventu, nec non de Garudae oraculo. Rex autem quum audivisset horrificam Ansumantis narrationem, sacrificium rite de more consummandum curavit,
26. deinde faustus sacris litatis ad urbem regiam rediit; sed, quamvis prudentia insignis, de Gangae arcessitu consi-
27. lium nullum reperiebat. Ita consilii inops magnus rex post tempus diuturnum, postquam per triginta millia annorum imperio praefuerat, ad Superos abiit.

CAPUT XLIII.

MUNUS BHAGIRATHI CONCESSUM.

1. Sagaro fati lege perfuncto, cives imperii regem sibi
2. crearunt Ansumantem piissimum, qui quidem, o Raghuide, princeps fuit egregius. Huic exstitit filius, Dilîpae no-
3. mine celebratus. In hunc filium imperandi munere deposito, Ansumantes in amoeno quodam Himavantis ver-
4. tice castimonias austeras exercuit. Cupiebat nimirum ille, Superos maiestate aequans, sanctum Gangae descensum assequi, sed optati sui non compos factus est prin-
5. ceps optimus. Triginta duobus annorum millibus elapsis, postquam in silvam secesserat, rex gloria insignis sedes coelestes nactus est pro castimoniarum merito.
6. Augustus Dilîpas vero, avorum clade comperta, quamvis perculsa luctu mente, consilium nullum reperiebat.

Digitized by Google

Quomodo effici poterit Gangae descensus? quomodo liba- 7.
tio in illorum tumulo? quomodo tandem eos in coelum
traducam? Tales cogitationes secum volvebat. Cui 8.
continuo haec meditanti, pietatis bene gnaro, natus est
filius, Bhagirathes nomine, religionum observantissimus.
At Dilîpas augustus, multis sacris litatis, per triginta 9.
annorum millia imperium administravit; nullum vero 10.
consilium assecutus, quonam pacto illi ab inferis pro-
trahi possent, morbo laborans fati legem subiit. Prin- 11.
ceps egregius ad Indrae orbem, quem benefactis suis
meruerat, est evectus, filio Bhagîrathe ad munus regium
aqua lustrali inaugurato. Bhagîrathes quidem sapiens rex 12.
fuit ac pius, o Raghuide, sed prolis desiderio anxius,
liberis orbus permansit. Demandata itaque ministris im- 13.
perii cura, ipse in Gangae descensum intentus diuturnas
castimonias exercuit in saxo Gôcarno: brachiis sursum 14.
porrectis, medius inter quinque ignes, singulis mensi-
bus semel cibum capiens, perdomitis sensibus, per hie-
mem in solo udo cubans, pluvio anni tempore sub dio
perdurans. Qui quum per aliquot annorum millia in 15.
tam atroci cruciatu perstitisset, propitius ei redditus est
almus BRACHMAN, summus animantium dominus. Tum 16.
Diis comitantibus magnus Parens ad Bhagîrathem sese
castigantem accedens, magnanimum ita affatur: Amplis- 17.
sime Bhagîrathe! hominum princeps! equidem tibi faveo,
ac propter castimonias bene exercitas munus aliquod ex-
petas licet. Totius mundi magno Parenti praeclarus Bha- 18.
gîrathes, validis lacertis praeditus, respondit; manus iun-
ctas suppliciter protendens: Si almum numen mihi favet, 19.
si fructuosa est castimonia, nanciscantur ope mea liba-
tionem cuncti Sagari nati. Cinere istorum magnanimo- 20.
rum Gangae undis irrorato, transeant in coelum immen-

Digitized by Google

21. sum omnes hi proavi mei. Prolem quoque, Dive, dare
velis, ne intereat prosapia nostra: Ixvâcuidarum stirpis
22. gratia concedatur mihi donum hoc insigne. Vix loqui
desierat rex, quum totius mundi magnus Parens voce
23. dulci, dulcisona, faustum oraculum ei edidit: Magnum
est quod optas, curulis bellator Bhagîrathe. Ita fiat!
24. Salve mihi, stirpis Ixvâcuidarum columen! En tibi
nympham Gangam, filiam Himavantis natu maiorem; di-
vinus Sivas est propitiandus, o rex! ut hanc vertice
25. excipere velit. Tellus enim Gangae in praeceps ruentis
impetum sustinere nequit; neque alium video huic exci-
26. piendae parem praeter Tridentiferum. Ita admonito
rege, Gangam deinde cohortatus, mundi creator rediit
in sedes aetherias, cum omnibus divis Ventorumque co-
horte.

CAPUT XLIV.

NYMPHAE GANGAE DESCENSUS.

1. Postquam abierat genitor animantium, rex pollice
pedis extremo in terrae solum infixo, integrum annum
2. perduravit: brachiis sursum porrectis, sine sustentaculo,
aërem pro cibo captans, sine tecto, immobilis, stipitis
3. instar erectus, noctu diuque insomnis. Tunc, anno per-
acto, Umae maritus, pecudum altor, quem universus
4. orbis adorat, talibus affatus est Bhagîrathem: Propitius
tibi sum, vir optime; gratificari tibi volo: excipiam ego
5. vertice montium regis filiam. Deinde conscenso Hima-
vantis fastigio deus rerum potens, Praecipita! inquit,

Digitized by Google

compellans Gangam, fluminis aetherii nympham. At filia 6.
Himavantis natu maior, quam universus orbis adorat,
quum Umae maritum sibi imperantem audivisset, ira ve-
hementi commota est. Conversa protinus in speciem 7.
immanem, cum impetu vix tolerando praecipitavit ex
aethere in faustum Sivae verticem. Secum cogitabat ni- 8.
mirum Diva illa, Ganga inexsuperabilis: Penetrabo egomet
in Tartarum, gurgite meo Sancarum abripiens. Tunc 9.
vero almus Sivas Trioculus cognita istius superbia, ira-
tus eam detrudere in humilem conditionem decrevit.
Ceciderat nympha sancta in sanctum Rudri verticem, 10.
imperviis comae plexae nodis Himavantis silvosi similem.
Inde illa nullo modo ad terram pervenire poterat, quam- 11.
vis validis conatibus, neque exitum nacta est, errabunda
inter comae orbes in altum exstructos. Ibidem vagaba- 12.
tur Diva per magnum annorum numerum, quam conspi-
catus Bhagîrathes denuo severissimis castimoniis sese ap-
plicuit. Hisce admodum propitius ei redditus Sivas 13.
tandem dimisit Gangam in lacum Vindum effusam. Ex 14.
ea sic dimissa septem flumina ortum habuere: Hlâdinis,
Pâvanis, tertioque loco Nalinis; hae tres Gangae, faustae, 15.
benignis aquis abundantes, versus plagam orientalem
profluxere. Suchaxus vero, Sitaque, nec non ingens
Sindhus, hi tres laetis limpidisque undis scaturientes 16.
versus plagam occidentalem profluxere [1]). Septima de-

1) Per se patet, quae hic describuntur, pleraque esse fabulosa: subest tamen aliquid veri, quod ad locorum situm quodammodo accommodari possit. Lacus *Vindus* omnino non exstat; sed novimus binos lacus, intervallo non nimis longo, etsi altissimis Imai iugis interiectis, a Gangis fonte versus Orientem remotos, qui errori materiam suppeditasse videntur, praesertim quum ex ho-

Digitized by Google

nique ex hisce, GANGA, regem Bhagîrathem sequebatur,
17. ex aethere in Sancari verticem, inde in terram delapsa.

---

rum altero Hesydrus effluat. De hisce lacubus confer annotata ad huius libri Cap. XXVI, 9. Inter septem fluminum nomina duo tantummodo a geographis exteris agnoscuntur, Sindhus et Ganges; ceteri e lingua Sanscrita sunt conficta: *Hlâdinî*, laetifica, *Pâvanî*, lustratrix; *Nâlinî*, lotis abundans; *Suchaxus*, pulcre oculatus vel oculata, utrumque enim genus forma vocabuli admittit; *Sitâ*, sulcus. Quod ad ordinem attinet, quo enumerantur, rationem poëtae ita capio, ut, ad orientem conversus, deinde, contra consuetnm morem, sinistrorsum in orbem circumeat, quo facto ad *Sindhum* et *Gangem* ultimo loco devenit. Hinc manifestum fit, ceteros fluvios memoratos, si qui usquam gentium exstant, extra Indiam esse quaerendos. Hlâdinim satis probabiliter ad amnem Tibetanum ab incolis *Tsampu* dictum trahere quis possit: nam quod paulo ante in dubium vocabatur, id nuper denuo confirmatum est, hunc cum Brahmaputro ipsi occurrente iunctum in eius nomen transire. Satis quadrat ad poëtae descriptionem tum vicinia fontium, tum cursus in orientem, quem magna ex parta persequitur, donec, ad meridiem deflexus, sub *Megnae* nomine in sinum Bengalicum sese effundit. Olim de eodem Râmeïdos loco disserens (*Bibl. Ind.* I, p. 90 sqq.) *Airavatum* huc advocabam, quem geographi nonnulli cum Tsampu confuderant. At nunc certo scimus, nullum horum esse confluvium, et Airavatum statim a fonte versus meridiem decurrere. Cf. ASIAT. RES. Vol. XVII, p. 314—469, descriptionem itineris cum tabula geographica. Ex tribus fluviis ad orientem tendentibus, duo reliquos si quis quaerat satis magnos, ut hic in censum venire possint, is nobis ablegandus erit usque ad Sinensium fines, unde alter *Caeruleus*, alter *Flavus* dictus, nascuntur. Contra nulla est difficultas in fluviis occidentalibus, ante Sindhum, id est versus septentrionem, positis. Habe-

Digitized by Google

Ibi aqua, raucum fragorem ciens, sinuosis flexibus va-
gabatur. Piscium testudinumque turbis, tum delphinum 18.
gregibus delabentibus ac delapsis, nitebat undique tellus.
Tunc divini Sapientes, Fidicines, nec non Geniorum 19.
Beatorumque agmina, dispiciebant amnem e coelo in
terram effusum. Divi tensis urbes aequantibus, equis 20.
vel excelsis elephantis vecti, alii praepeti volatu per
aërem, undique adstitere. Miraculum istud mundo osten- 21.
tatum, Gangae descensum egregium, visendi cupidi con-
venere Coelites, incomparabili splendore insignes. Hisce 22.
in unum cocuntibus, eorumque gemmeis ornamentis,
coelum ab omni nube purum centenis solibus illuminari
videbatur. Delphinum anguiumque gregibus, lubricis quo- 23.
que piscibus cinctus erat aether quasi fulminibus quoquo-
versus dissipatis. Albentibus undarum spumis in mille partes 24.
dispersis distinctus erat aër, quasi cycnorum agminibus per
coelum autumnale volitantium. Hic properantius decurrit 25.
flumen, illuc tortuoso tramite accedit; hic in latum porri-
gitur, illic lentissimo motu paene stagnat. Alicubi fluctus 26.
fluctu reciprocante repulsus, passim in sublime emicans,
rursus in humum decidit. Ita in Sancari vertice fracta, 27.
fracta rursus in terrae solo, unda late splendebat, limpida,

---

mus *Iaxartem* et *Oxum*, e montium iugis quodammodo cum Imao coniunctis scaturientes. Sindhus, veterum *Indus*, recte versus occidentem fluere dici poterat, si amnis, urbem *Ladak* praefluens, re vera locum principem obtinet inter eos, quorum commixtis undis Indi nomen adhaesit. — Plerique theogoniae auctores quatuor modo amnes ex eodem lacu manantes tradidisse videntur. Similiter astronomus *Bhâscarus*, a V. Cl. Colebrookio laudatus, As. res. VIII. p. 439., in commentatione *de fontibus Gangis*.

Digitized by Google

28. pura ab omni labe. Divini Sapientes, coelestesque Fidicines,
in sedibus terrestribus habitantes, attingebant aquam istam,
confisi fore lustralem, quippe quae a Sivae corpore de-
29. fluxisset. Qui diris obnoxii ex aethere in tellurem prae-
cipitaverant, hoc latice penitus lustrati, denuo in coelum
30. subiere. Gaudio efferebatur genus humanum adspectu
huius aquae pellucidae: etenim irroratum e Ganga ab
31. omni labe purum est redditum. Bhagîrathes vero, rex
sapiens, curru divino conscenso maiestate pollens in
32. fronte incedebat, quem Ganga a tergo sequebatur. Divi
omnes cum Sapientibus consociati, Ditiadae, Danuidae,
Gigantes, Fidicinum Geniorumque proceres, cum Hip-
33. pocephalis magnisque Serpentibus, nec non frequentes
Nympharum chori, Bhagîrathis currum prosecuti sunt;
praeterea quaecunque sunt aquatilia alacriter Gangae ve-
34. stigia legebant. Quocunque pracibat rex Bhagîrathes,
eo procedebat Ganga celebratissima, nympharum fluvia-
35. lium optima, omnium delictorum piatrix. Ibi vero, dum
forte Jahnus, sanctitate mirabilis, sacris operabatur,
36. Ganga aream sacrificalem viri magnanimi inundavit. Cuius
nymphae superbia cognita, Jahnus ira incensus, o Ra-
ghuide, omnem fluminis aquam ebibit, quod maximo mi-
37. raculo esset. Quo facto Divi et Fidicines Sapientesque,
vehementer exterriti, Jahnum, virum sanctissimum, ad-
38. oravere, Gangamque filiae loco adoptandam magnanimo
obtulere. Hac conditione placatus vir maiestate prae-
39. pollens rursus ex auribus aquam emisit. Inde Ganga
Jahnûs nata sive Jâhnuis vulgo dicitur. Ulterius deinde
40. ea perrexit Bhagîrathis currum prosequendo, et quum
ad Oceanum pervenisset nympharum fluvialium praestan-
41. tissima, sedes infernas subiit, ut inferias istas solvendas
iuvaret. Rex autem, Ganga comitante ad Oceanum pro-

Digitized by Google

gressus, intravit loca subterranea per tramitem a Sagaridis effossum. Deinde, perducto fluvio in Erebi pro- 42.
funda, proavos suos cunctos in cinerem conversos libatione recreavit. At Sagari filii, Gangae undis ibi proluti, 43.
aetheriam formam quum protinus induissent, gaudio elati in coelum ascenderunt. Quos omnes proavos ma- 44.
gnanimi istius ope prolutos conspicatus BRACHMAN, deorum agmine circumdatus Bhagîrathem hisce affatur: Exso- 45.
luta sunt, heros fortissime, et in coelum divûm more evecta Sagari magnanimi filiorum sexaginta millia. Quam- 46.
diu Oceani aqua in orbe terrarum immota perstabit, tamdiu Sagari filii cuncti in coelo divûm more perstabunt. Haec autem Ganga filia tua natu maxima fiet, 47.
nomineque a te impertito perpetuo per orbem celebrabitur. Gangis nympha divina Trivia Bhagîrathisque 48.
audiet: quandoquidem tres vias collustrat, inde Trivia nuncupatur. Iam tu, populorum domine, proavis uni- 49.
versis aqua libata inferias hinc mitte, promissumque solvendum cura. Abavus tuus olim, gloriosissimus ille, 50.
inter pios eminens, huius voti non factus est compos. Similiter quoque Ansumantes, mi filiole, vigore per or- 51.
bem terrarum incomparabilis, de Ganga deducenda sollicitus promissum solvere non potuit. Tum rex sapiens, 52.
virtutibus praeditus, gravitate magnis Sapientibus aequiparandus, castimoniis eximius, in muneribus ordinis militaris obeundis constans, pater tuus, vir amplissime, 53.
illustris Dilîpas, nec ipse Gangam deducere potis fuit, quamvis anxie sollicitus. Tibi vero, hominum fortissime, contigit promissum istud explere; tu nactus es summam 54.
per orbem terrarum gloriam, ab ipsis Coelitibus probatam. Hic Gangae descensus tua ope, hostium domitor, 55.
confectus est, quo facto tu tibi ingens pietatis sacrarium

Digitized by Google

56. parasti. Prolue temet ipsum, vir excelse, aqua semper
57. salutari, lustratusque meritorum praemiis fruere. Avorum tuorum omnium in honorem fac libationem solennem. Bene tibi esto! Equidem in sedem aetheriam
58. revertor; tu quoque domum redi. Talibus affatus almus BRACHMAN Bhagîrathem, hostium domitorem, cum deorum
59. comitatu ad sedem suam inconcussam remeavit. Bhagîrathes autem, rex sapiens, clarissimus, celebratis ex
60. ordine Sagaridarum inferiis sicuti decebat, ipse quoque aqua rite lustratus ad urbem suam reversus est, opibus-
61. que auctus regni sui imperio praefuit. At populus tali principe reduce laetatus, o Raghuide, dimissa moestitia
62. et aegritudine, omnibus copiis effloruit. Sic tibi, Râma, Gangae memoriam fusius ego explicui. Fausta tibi pre-
63. cor! salve! Tempus vespertinum iam praeterit. Lustralis est, opesque, famam, aevum diuturnum, sedem apud Superos denique audientibus parat haec narratio de Gangae descensu, a me tibi enarrata.

CAPUT XLV.

AMBROSIAE ORIGO.

1. Audito Visvâmitrae sermone Raghuides, pariter ac Laxmanus, ad summam admirationem raptus, hisce ma-
2. gistrum affatur: Est valde mirabilis, Brachmana, narratio haec a te prolata: sanctus Gangae descensus, nec
3. non Oceani expletio. Nox haec, o hostium domitor, in breve temporis momentum contrahi nobis visa est, dum

Digitized by Google

meditabamur omni ex parte narrationem istam tuam.
Mihi sane aeque ac Sumitridae nox integra consumta est 4.
meditando faustam Visvâmitrae narrationem [1]). Ubi dies 5.
clare illuxit, Raghuides hostium domitor his verbis adiit
sanctum vatem Visvâmitram, qui modo religiones matu-
tinas perfecerat: Iam discessit nox alma; auscultata est 6.
mirabilis rerum memoria, nunc traiiciamus amnium prae-
stantissimum, lustrales nymphae Triviae undas. Adest, 7.
ecce! navis ampla et bene instructa, piorum anachore-
tarum nutu, qui te virum divinum advenisse cognove-
runt, celeriter advecta. Quo sermone Raghuidae ma- 8.
gnanimi audito, Causicus discipulorum cohortem trans-
vehendam curavit. Ad ripam septentrionalem appulsi, 9.
salutato anachoretarum coetu, dum iuxta amnis cursum
progrediebantur, conspexere urbem Visâlam. Propere 10.
inde Sapientum princeps cum Raghuidis profectus est
ad urbem Visâlam, amoenam, Superûm sedibus aequi-
parandam. Interim inclytus Râmas prudentem Visvâmi- 11.
tram venerabundus interrogavit de urbis egregiae origine.
Quaenam, infit, regum prosapia Visâlae imperat? Id 12.
audire velim, si tibi placet, vir sapientissime! Vehe-
menti sane cognoscendi studio commoveor. Quibus Râ- 13.
mae dictis auditis, vatum princeps sesè accinxit ad re-
petendam veterem Visâlae memoriam. Ausculta mihi, 14.
inquit, Raghuide! dum faustum Indrae facinus narro;
quae res in hac ipsa terra gesta est, eam vere traditam

---

1) Turbatum est aliquid in ordine versuum. Ita enim loqui poterant adolescentes postero demum mane; nunc autem dormitum abituri vatem salutant, statim post narrationem hora vespertina finitam. Cf. cap. XLIV, 62. Commentatores nihil variant, Bengalici emendare conati sunt, sed eorum lectio vitiis aliis laborat.

Digitized by Google

15. accipe. Fuerunt olim in prima et perfecta mundi aetate
Ditidis filii praevalidi, altera ex parte Aditidis, prae-
16. clari, fortes, pii. Erant utrique Casyapi magnanimi pro-
genies, fratres aemuli, ex duabus sororibus partu editi,
17. prae ambitione alteri alteros vincere cupientes. Ili ali-
quando congressi, ut fertur, viribus freti inter se con-
sultare, quomodo senii immunes immortalesque fieri pos-
18. sent. Qua de re deliberantes prudens consilium cepere
oceanum lacteum agitandi, sperantes fore ut inde lati-
19. cem saporatum nanciscerentur. Decreto igitur opere,
serpente Vâsuce usi pro fune iugali, monte Mandaro
pro rude, immenso vigore praediti oceanum agitarunt.
20. Post mille annos serpentis, quem huc et illuc torque-
bant, capita, venenum acerrimum evomentia, dentibus
21. saxa momordere. Erupit inde, ignis instar, virus pesti-
ferum, quo urebatur orbis universus, deorum, Titanum
22. hominumque sedes. Tunc dii auxilii inopes ad magnum
Sancari numen sese converterunt, pecudumque altorem
Rudrum hac voce: Fer opem nobis! fer opem! adorarunt.
23. Ibi coram adspiciendum sese exhibuit, concham, discum
clavamque gestans, Vishnus cum leni risu Rudrum tri-
24. dentiferum affatus: Ex oceano a divis agitato quicquid pri-
mum emerserit, id tuum omnino esto, Coelitum princeps,
25. siquidem tu horum natu es maximus. Hic adstans ac-
cipe, domine, tanquam primitias hocce venenum. Talia
locutus deus praestantissimus ibidem e conspectu eva-
26. nuit. At Sivas, viso deûm pavore, dictoque Arcitenen-
tis [2]) audito, venenum istud atrox ac letiferum hausit,

---

2) SARNGIN, ad litteram *corneum arcum gestans*, est perpetuum Vishnûs cognomen. Norant igitur et Indi artem ex cornubus dorcadum vel caprorum silvestrium arcus

Digitized by Google

quasi merum nectar foret. Quo facto, diis relictis, abiit 27.
Superûm princeps, almus Sivas; dii vero Titanesque
coniunctim oceanum agitavere. Interim quum mons ille 28.
excelsus, pro rude adhibitus, ad inferos delapsus esset,
dii Fidicinesque Madhûs interfectorem adorarunt. Tu es 29.
salus omnium animantium, imprimis Coelicolarum; so-
spita nos, validis lacertis praedite! Te montem extrahere
oportet. Hisce auditis Vishnus, testudinis formam indu- 30.
tus, montem dorso sublevavit, ibique sub oceano cubuit.
At simul Pulcricomus ille, qui mundum permeat, summus 31.
Genius, montis cacumen manu prehendens, inter medios di-
vos adstans, aequor agitavit. Inde post mille annos vir artis 32.
medicae gnarus (*Dhanvantares*) surrexit, placidus, bacu-
lum urceumque gestans. Inter aquarum agitationem dum 33.
sapor eliciebatur, generose adolescens, emerserunt inde
bellissimae puellae, quae ab aquis et sapore APSARASES
dictae sunt [3]). Harum Apsarasum splendidarum sexagies 34.
centies centena millia exstitere; ancillae autem, quae illis

---

propter duritiem praestantes conficiendi, quam Homerus luculenter descriptam Troianis heroïcae aetatis tribuit. ILIAD. IV. 105—111.

3) Est haec notatio ex eorum numero, quae fabulis superstrui solent, sed grammatice admitti nequeunt. In disticho sequenti poëta genitivum pluralis non a sucta positione *apsaras*, sed ab obsoleta *apsará* deflectit. Ludit autem in etymo, quasi esset formatum nomen ex *rasa*, sapor; praemisso septimo casu pluralis vocabuli *ap*, aqua; APSU-RASA, *in aquis sapor;* ut itaque secunda vocalis foret mutata, ultima abiecta. Sed est compositum ex AP, *aqua*, et verbo SARATI, *moveri*, *ingredi*, et aquarum incolas significare videtur. Fuerunt fortasse Apsarases fontium nymphaë, antequam in coelum, cuius deliciis inserviunt, transferrentur.

Digitized by Google

35. ministrarent, erant innumerabiles. Quas quum nec Dii nec
Danuidae uxores ducere vellent, propter hanc repudia-
36. tionem corpora earum vulgata sunt. Emersit porro e
latice saporato Varuni nata (*Sura* dicta) conditionem
37. nuptialem quaerens. Ditidis quidem filii hanc nympham
Varunidem non recepere; Aditidis nati contra recepere
38. puellam intemeratam. Hinc a Sura recepta Dii postea
Suri cognominati sunt; Ditiadae altera ex parte *Asuri*,
39. quia eandem repudiaverant 4). Ibidem surrexit equus
UCHCHAISSRAVASES (*ab arrectis auribus dictus*) et gemma
CAUSTUBHA dicta, nec non *Sômadêvus*, lunae praeses. —
40. [*Tandem post diuturnum tempus indidem enata est
*puella, in loti calice sedens, admodum formosa, pri-
41. *ma iuventa florens, per totum corpus tum mundo mu-

---

4) SURA, genere feminino, comprehendit omnes potiones, quaecunque inebriandi vim habent, quarum multa genera, ex oryza, ex arundine saccharifera, ex variis floribus plantisque liquando et decoquendo conficere India ab ultima inde antiquitate didicerat. Patet hoc ex *Mânûs Codice*, XI, 93 seqq. A Cullûcabhatto ad hunc locum laudatus *Pulastius* duodecim species enumerat. At haec notatio nominum *Sura* et *Asura* habet, quod mirationem faciat. Nihil enim apud Indos turpius et flagitiosius ebrietate habetur, ac non Brachmanis modo, sed etiam duobus reliquis ordinibus severissime usu vini et sicerae qualiscunque est interdictum. Hominibus servilis conditionis solis hoc conceditur. Itaque plane alienum videri debet a Superûm dignitate, quod nympham tam perniciosam favore suo amplectuntur; Asuris id potius erat tribuendum. Ipse *Manus* (I, 95) talem potum daemonum proprium esse ait. Sed praevaluit lusus etymologicus. Nomen hoc deorum, *Sura*, sine dubio ab indeclinabili, SVAR, *coelum*, fuit derivatum.

Digitized by Google

*liebri compta, tum faustis notis insignita, diademate
*armillisque caput et lacertos cincta, nigris cincinnis de-
*cora, auri liquefacti instar fulgens, monilibus ex mar- 42.
*garitis ornata, dea potentissima, quadribrachia, pulcra
*facie, loti florem manu tenens. Haec eadem, inquam, 43.
*tali modo edita, diva Faustitas, per universum orbem
*adorata, ipsa Lotigena in Lotomphali Vishnûs amplexum
*protinus sese insinuavit [5]). *] — Tum Dii Titanesque 44.

---

5) Octo versus asteriscis notati in neutra recensione leguntur. Exstant in solo codice A. et in editione Srîrâmapurana. Ceterum optimae sunt notae, et propter singularem elegantiam recipiendos putavi. Satis antiquam esse hanc fabulam de Laxmidis origine patet ex eius cognomine inde ducto: *Xîrâbdhi-tanayâ*, oceani lactei filia, quod antiquissimus inter Indorum lexicographos, *Amarasinhas*, exhibet, Lib. I, C. I, 23. Memorabilis est similitudo cum mytho Graeco de Venere ex maris spuma orta. Iuvabit imprimis comparare descriptionem mundi muliebris in altero hymno minore Homeridae cuiusdam in Aphroditen. Attamen affirmare non ausim, versus istos ab eadem manu cum reliquis esse profectos. Ex vulgata opinione quatuordecim *gemmae* sive res pretiosae ex Oceano agitato prodiere, quos enumerat *Moor Hindu Pantheon*, p. 183. Sed fabulam a recentioribus paullatim amplificatam crediderim. Vâlmîces, simpliciorem traditionem secutus, exclusa Laxmide, septem modo gemmas agnoscit: Dhanvantarem, Apsarases, Varunidem, Uchchaissravasem, Caustubham, Sômadêvum, denique Ambrosiam. *Bharateae* auctor in narratione ornatiore eiusdem mythi, quam *V. Cl. Wilkins* Anglice expressit, (Not. ad Bhagavadgîtam, p. 146 sqq.) praeter Laxmidem tres novas addit: Pârijâtam, arborem coelestem, Surabhim, vaccam abundantiae, et Airavatum, Indrae elephantum; omissis tamen, quod miror, Apsarasibus. — Ben-

Digitized by Google

cum Fidicinum choris oceanum denuo versando miscuere,
unde tandem concretum est istud, *quod maxime cupie-*
45. *bant*, nimirum ambrosia praestantissima. At huius fruen-
dae gratia ingens stirpium exstitit strages: etenim Aditi-
46. dis nati Ditiadas bello impugnarunt; altera ex parte ob-
viam iis processere Asuri cuncti cum Gigantibus conso-
ciati. Commissum est proelium atrocissimum, quo tri-
47. plex mundus obstupesceret. Dum omnia ad interne-
cionem ruebant, Vishnus praevalidus interim, usus prae-
stigiis quibus oculos fallere solet, cito ambrosiam abstu-
48. lit. Qui Vishnui aeterno, summo Genio, cominus ob-
stiterant, proculcati sunt in hac pugna a deo rerum po-
49. tente. Aditidis nati bellicosi Ditidis filios ad interne-
cionem delevere in atroci hoc conflictu inter utrius-
50. que divae prolem. Profligatis denique hostibus, im-
perium adeptus urbium eversor Indras, laetus mundos
rexit, pariterque Sapientum et Praeconum coelestium
agmina.

---

galici, aliis quoque in hoc capite mutatis, disticha 20—31 eiecerunt: fortasse quia Sivam a Vishnu irrisum non tolerabant. — In Laxmidis descriptione hoc solum me offendit, quod *quadribrachia* dicitur. Vishnûs quidem lacerti, ab humero ad cubitum simplices, inde in duo brachia dividuntur. Sed Laxmis in omnibus sigillis ex aere fusis, quotquot unquam me videre memini, aut ipse possideo, duo modo habet brachia. Neque imaginem summae venustatis decet haec membrorum multiplicatorum deformitas.

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

FOETUS DITIDIS DIFFISSUS.

At Ditis, propter hanc filiorum stragem vehementi 1.
moerore confecta, coniugem suum Marichidem Casyapum
tadibus affatur: Orba sum, alme, filiis istis tuis praeva- 2.
lidis. Parere cupio filium Indrae interfectorem, quem
diuturnis castimoniis sum meritura. Ipsa equidem ritus 3.
sanctos servabo; tuum est efficere, ut utero concipiam:
te sane decet, Indrae interfectorem mihi concedere.
Quibus uxoris dictis auditis Marichides Casyapus, maie- 4.
state pollens, Ditidi moestissimae haec retulit: Ita fiat! 5.
Salvere te iubeo! Puram te serva, mulier castissima,
generabisque filium, qui Indram in certamine profligare
possit. Quando per plenos mille annos puram temet 6.
servaveris, tunc filium triplicis mundi debellatorem ex
me generabis. Ita locutus vir gravissimus manu blande 7.
eam attrectavit; amplexuque dato fausta ei precatus ad
solitas religiones secessit. Illo profecto Ditis, admodum 8.
laeta, in verbenae cumulo decumbens austerissimas ca-
stimonias exercuit. Quam dum illa vitam degebat, ultro 9.
eam adiit Sacrus, et summae humilitatis studiosus totus
in eo erat, ut ei ministraret. Ignem, verbenas, ligna, 10.
aquam, nec non fructus radicesque silvestres ei suppe-
ditabat deus mille oculis insignis, et quicquid praeterea
gratum esset. Membra defricando ac lassitudinem le- 11.
niendo Sacrus omni tempore circa Ditim assiduus erat.
Quum ad mille annorum numerum explendum decem 12.
modo deessent, Raghuide, illa summopere laeta Indram
allocuta est: Decem adhuc anni, fortissime belli dux, in 13.

Digitized by Google

14. castimoniis peragendi mihi restant. Bene tibi sit! Mox
fratrem conspicies, quem ego commodi tui gratia, filiole,
victoriae ambitiosum fovebo. Tali filio meo tergemini
mundi victore tu mecum gaudebis, ipse curarum immu-
15. nis. A patre tuo magnanimo precibus sollicitato hoc
donum mihi fuit concessum, ut post mille annos exple-
16 tos filium parerem. Haec effata diva, sole circa medium
coelum versante, somno abrepta est, atque inter dor-
17. miendum pedes in statione capitis posuit. Quam quum ita
pollutam videret Indras, pedibus in capitis statione po-
sitis capillos contingentem, in risum gaudiumque effusus
18. est. Penetravit itaque urbium eversor, sollertia eminens,
per corporis foramen in eius uterum, foetumque septies
19. discidit. At foetus dum centuplici fulminis acie diffin-
debatur, clara voce eiulavit, quo facto Ditis expergefa-
20. cta est. Indras vero, Noli eiulare! inquit, foetum in-
crepans, ac viribus pollens quamvis eiulantem diffidit.
21. Ditis contra, Parce huic! parce, obsecro! clamabat. Tunc
Indras, venerandae matris vocem reformidans, exsiluit;
22. manibusque, quibus fulmen tenebat, suppliciter protensis,
hunc in modum Ditim compellavit: Contaminata obdor-
mivisti, o Diva, pedibus capillos contingens; hanc oc-
23. casionem nactus septies discidi istum, qui Indrae inter-
fector futurus erat, cuius facinoris te mihi veniam dare
aequum est.

Digitized by Google

CAPUT XLVII.

CONGRESSUS CUM SUMATE.

At foetu in septem partes diviso, Ditis sanctissima 1.
deum mille oculis insignem, aggressu difficilem, placidis
verbis affatur: Mea culpa foetus hicce septies discerptus 2.
est; nulla hanc ob rem in te cadit culpa, Superûm prin-
ceps, Balis interfector. Attamen gratum aliquid mihi 3.
fieri velim in foetus mei iactura. Fiant hi septemgemini
filioli mei custodes septem stationum, quas venti insident,
vagenturque per aethera turbinum humeris vecti. Cele- 4.
brentur *Mârutorum* nomine nati mei, formam aetheriam
induti. Unus ex his BRACHMANIS mundum incolat, alter 5.
Indrae mundum; tertius porro, *Aër* dictus, magnam
gloriam adepturus, polum terrae proximum; ceteri qua- 6.
tuor vero ex me geniti tuo iussu, Superûm princeps,
divinae sortis participes, totidem mundi plagas occupa-
bunt [1]). Sic tibi bene sit! Talibus istius dictis auditis, 7.
urbium eversor, mille oculis insignis, Balis interfector,
venerabundus Ditidi haec reponit: Hi ex te geniti, aethe- 8.
ria forma assumpta, meo iussu Maruti, nomine a temet

---

1) Vâlmîces septem modo Mârutos novit, quos recentiores, numero septenario per se multiplicato, quadraginta novem esse volunt. Suspicari quis possit, hanc opinionem fluxisse aut ex nostro, aut ex alio quodam vetere poëta, male intellecto. Nam ad rationes mathematicas maior numerus nullo modo accommodari potest, etiamsi octo plagae coelestes vel, quod interdum fit, decem numerentur.

Digitized by Google

9. ipsa invento, appellabuntur. Ambrosia vescentes iidem
ipsi filii tui mecum consociati per ternos mundos vaga-
10. buntur sine ullo metu, curisque exsoluti. Postquam hi
duo, mater filiusque, in sancto secessu talia inter se pe-
pigerant, redierunt in coelum, ambo optatorum potiti,
11. sicuti quidem fama traditum accepimus. Haec autem
ipsa est regio, Cacutsthide, a magno Indra olim habi-
tata, ubi is tali modo Ditidi castimoniis consummatae mi-
12. nistravit. Ibidem sapienti regi Ixvâcui ex coniuge Alam-
busha natus est filius recti studiosissimus, Visâli nomine
13. celebratus, qui in hoc situ urbem Visâlam a se dictam
condidit. Visâli filius exstitit Hêmachandrus, rex fortis-
14. simus; huic qui proxime successit, Suchandrus appellatus
est. Suchandri filium deinceps Dhûmrâsvae nomine ce-
15. lebratum novimus, a quo porro Srinjayas est procreatus.
Srinjayae filius exstitit faustus Sahadêvus, maiestate pol-
16. lens; Sahadêvi, Cusâsvas, recti studiosissimus; Cusâsvae,
17. inclytus Sômadattas, maiestate pollens. Huius filius in-
clytus in praesentia hanc urbem incolit, Sumates di-
18. ctus [2]), immortalium similis, invictus. Ixvâcûs autem
benignitate effectum est, ut omnes reges Visâlenses diu-
19. turni essent, magnanimi, fortes iustique. Hic hodie
unam noctem commode somno indulgebimus: cras quam
primum illuxerit, optime adolescens, Janacus nobis erit
20. invisendus. Interim Sumates rex, comperto Visvâmitram

---

2) Hanc genealogiam admodum decurtatam esse apparet, quandoquidem ab eodem utriusque stirpis auctore, Ixvâcû, Dasarathas (Cap. LXX.) trigesimus quartus perhibetur; Sumates vero, eius aequalis, nonus. Sed poëta temporum rationem non curat; et facile intelligitur, Visalorum reges, utpote rerum gestarum fama minus claros, pauciora nomina posteritati tradidisse.

Digitized by Google

appropinquasse, obviam ei processit, magnanimumque
veneratus est. Ipse, antistite cognatisque comitantibus, 21.
honorifice exceptum Visvâmitram postquam reverenter
interrogaverat, an recte valeret: Sum fortunatus, inquit, 22.
gratulorque mihi, quandoquidem tu, magne vates, in se-
dem meam conspectumque venisti; nemo est me fortu-
natior.

CAPUT XLVIII.

EXSECRATIO INDRAE ET AHALYAE.

In hoc congressu quum alter de alterius incolumitate 1.
certiores facti essent, post varios sermones Sumates magnum
vatem talibus affatur: Hi duo adolescentes, quaeso, vigore 2.
deorum aemuli, leonum elephantorumve incessu gradien-
tes, fortes, tigribus taurisque comparandi, grandibus 3.
oculis quasi loti foliis decori; acinacem, pharetram ar-
cumque gestantes, non minus formosi quam Asvines ge-
melli, prima iuventa florentes, quasi forent Immortales 4.
e Superûm sedibus sua sponte [1]) in terram devecti:
quomodo pedestri itinere huc pervenere? quo consilio?
et cuiusnam sunt nati, o vates? Illustrant sane hanc re- 5.
gionem, sicuti Sol ac Lunus polum aetherium, similes

---

1) *Sua sponte* additum est, quia dii minorum gentium semideique interdum propter culpam aliquam e coelo exulant, cuius rei exemplum exhibet carmen *Méghadûta* (NUBES NUNTIA) inscriptum, in Genio sortem suam lamentante. Et noster passim; cf. Cap. XLIV, 28. 29.

Digitized by Google

6. inter se, pariles statura vultu gestuque. Cuius sermone
audito Visvâmitras ei res gestas, tum commorationem in
eremo Consummato, tum caedem Gigantum ex ordine
7. declaravit. Qua narratione intellecta rex, ad summam
admirationem raptus, hospites suos, geminos Dasarathi-
8. das, veneratus est. Tum Raghuidae Sumatis hospitio
honorifice excepti, quum unam noctem ibi quievissent,
9. versus Mithilam sunt progressi. Anachoretae, ubi pri-
mum faustam Janaci urbem ex longinquo prospexerant,
hilari animo, Euge! bene! exclamantes eam salutavere.
10. Ibi in silva suburbana prope Mithilam conspecto secessu
antiquo, solitario, sancto, Raghuides vatum principem
11. interrogavit: Quidnam hoc est quod cerno, secessus
amoeni specie, sed ab anachoretis deserti? Discere cu-
pio, vir venerande, cuiusnam fuerit hic antiquus eremus.
12. Audita Reghuidae percunctatione inclytus vates Visvâmi-
13. tras, facundia praeditus, haec contra retulit: Narrabo
tibi ex vero, cuiusnam hic eremus fuerit, abominatus
14. postea prae ira a viro magnanimo. Egregii vatis Gau-
tami, nobilissime adolescens, olim fuit hic secessus, coe-
15. lesti specie, quem vel ipsi dii honorarent. Is anacho-
reta cum uxore Ahalya consociatus hic per multa anno-
16. rum millia castimonias exercuit. Quodam die autem
quum anachoreta longius inde abiisset, Indras venustam
17. feminae in secessu sedentis formam speculatus est. Occa-
sione oblata igitur coeli princeps, libidine contactus, ana-
choretae habitum induit, talibusque Ahalyam affatur;
18. Amore flagrantes, modesta mulier, non exspectant, donec
menstruorum tempus praeterierit; ego vero tecum con-
19. iungi cupio, o tereti latere decora puella! Illa, etiamsi
agnoverat Indram sub anachoretae habitu, demens con-
silium cepit ei obtemperandi, capta cupidine Coelitum

Digitized by Google

principis. Tum, postquam animum suum expleverat, 20.
Superûm principem admonuit: Optato potita sum, do-
mine; cito iam hinc abi: omnimodo tibimet ipsi mihique 21.
a Gautamo cave. At Indras ridens Ahalyam his verbis
compellavit: Satisfactum est mihi, iuvenili femore ve- 22.
nusta! Abibo, sicuti adveneram. Ita post concubitum
cum illa discessit ex tugurio, festinanter turbatoque ani- 23.
mo, anxius nimirum de Gautami reditu. At protinus
conspexit eo accedentem magnum vatem, vel Diis Da- 24.
nuidisque aggressu difficilem, vigore mirabili, quem san-
ctitate sibi quaesierat, praeditum; irroratum aqua e sta-
gno lustrali, flammae instar splendentem. Viso ibi ana- 25.
choreta praestantissimo, qui ligna ad alendum ignem
sacrum collegerat, verbenamque manu tenebat, Superûm
rex territus vultum deiecit. Vates contra moribus pro- 26.
bus, quum improbum illum sub anachoretae habitu
cognovisset, per iram haec ei inclamavit: Quandoquidem 27.
tu, vecors, meam ipsius speciem simulans, facinus ne-
fandum patrasti, ilico spado fies. Vix dum magnanimus 28.
vates iratus Indram talibus obiurgaverat, eodemque tem-
poris momento testiculi eius humi cecidere. Tum is, ex- 29.
stincta virilitate, in spadonem mutatus, austera viri san-
ctitate perculsus animum despondit, et languor enervis
eum occupavit. Hunc in modum diras Indrae impreca- 30.
tus, Gautamus uxorem quoque exsecratus est: Hic ibi-
dem per multa annorum millia habitabis; aëre vescens, 31.
nullo cibo recreata, temet ipsam excrucians, in cinere
cubans, cunctis animantibus invisibilis in hoc secessu
remanebis. At quando Râmas, invictus ille Dasarathides, 32.
ad horridam hanc silvam accesserit, tunc demum pura
fies. Eius hospitio, improba mulier, a libidine ac de- 33.
mentia liberata me coram gaudio affecta formam propriam

Digitized by Google

34. recuperabis. Ita affatus contaminatam inclytus Gautamus in amoeno quodam Himavantis cacumine castimoniis severrissimis sese castigavit.

CAPUT. XLIX.

AHALYAE LIBERATIO A DIRIS.

1. At Sacrus spado factus deos Igne duce congregatos, tum agmen Sapientum, coelitumque Praecones, ocu-
2. lis prae pavore deiectis ita alloquitur: Equidem, dum Gautami magnanimi sanctimoniam impedire studeo, iram eius concitando vestrum re vera, Superi, negotium peregi.
3. Spado factus sum ab irato, illa quoque (*uxor eius*) est deformata; attamen eripui ipsi castimoniarum fructum
4. vehementi, quam effudit, dirarum imprecatione. Quamobrem aequum est, ut vos omnes, Superûm principes, cum Sapientum agmine Praeconibusque, me vestri com-
5. modi gratia emasculatum denuo masculum reddatis. Sermone dei Sacrifici audito Superi, Ignem ducem secuti, cum Ventorum cohorte PROGENITORES divinos adeuntes,
6. uno ore talia protulere: Aliquando speculatus anachoretae uxorem deus Sacrificus libidinis impotens eam vitia-
7. vit: quapropter vatis diris ilico spado est factus. Nunc divis ille succenset Coelitum princeps, urbium eversor. En! aries hicce coleatus est, Sacrus vero coleis priva-
8. tus. Ereptos igitur arieti coleos Sacro sine mora tradite; quo facto aries castratus in summis deliciis vobis erit, et
9. quicunque homines vos recreandi gratia talem arietem

Digitized by Google

vobis offerent, his vosmet praemia perennia ac praeclara concedetis. Audito Ignis sermone, Progenitores congressi 10.
arietis coleos comparatos deo mille oculis praedito accommodarunt. Ab eo inde tempore, Cacutsthide, Pro- 11.
genitores, quandocunque conveniunt, arietum castratorum carne vescuntur, quorum coleis illum redintegraverant. Indras autem, Gautami magnanimi potentia ac sanctitate 12.
perculsus, ab eo inde tempore coleis arietinis usus est. Adi ergo, inclyte Raghuide, secessum viri religiosi; ex- 13.
solve diris praeclaram illam Ahalyam, divina forma praeditam. Audito Visvâmitrae sermone, eundemque ducem 14.
secutus, Raghuides cum Laxmano comite secessum intravit. Ibi conspexit praeclaram mulierem, castimoniis col- 15.
lustratam, quam oculis cernere neque hominibus, vel undique congregatis, nec Diis Titanibusve contigerat: quasi aetheriam quandam praestigiam, summa cum cura 16.
ab auctore rerum efformatam; quasi flammam, quamvis fumo obvolutam, tamen interlucentem; quasi plenam lu- 17.
nam obnubilatam, bruma hiemali absconditam; quasi lucidam solis imaginem in mediis undis oculos praestringentem. Illa eadem secundum Gautami effatum vel ter- 18.
gemini mundi incolis visu inaccessa fuerat, donec in Râmae conspectum venisset. Tunc ambo Raghuidae laeti 19.
pedes eius amplexi sunt; ipsa vero, Gautami dictum recordata, benigne eos excepit; sedula paravit pedum 20.
lavationem, pateram hospitalem, ceterosque hospitii honores, quae cuncta Cacutsthides pro more solenni rite accepit. Decidit e coelo amplissimus florum imber, di- 21.
vinis tympanis interim resonantibus; simul Fidicines saltatricesque festas celebravere choreas. At Dii vocibus 22.
bene auspicatis, Euge! pulcre! Ahalyam collaudare, mirabili castimoniarum vi lustratam, dicto audientem Gau-

Digitized by Google

23. tamo. Qui quidem maiestate pollens, quum divina mentis acie cognovisset, Ramam ad suum eremum acces-
24. sisse, eum consalutavit. Deinde cum uxore Ahalya iam ab omni labe purgata congressus, sociam assumpsit vir
25. sanctus religionum in posterum colendarum. Râmas quoque a magno anachoreta Gautamo cum eximio honore, sicuti decebat, coram exceptus, ad urbem Mithilam pergit.

CAPUT. L.

CONGRESSUS CUM JANACO.

1. Tum Râmas versus plagam mediam inter Eoam et Borealem progressus, Visvâmitra duce ad septum sacri-
2. ficale accessit. Quo facto ipse, pariterque Laxmanus, vatum principem affatus, Sane quam amplus, inquit, est
3. sacrorum apparatus, a Janaco magnanimo instructus. Adsunt hic, vir inclyte, multa Brachmanarum millia, convenae e diversis regionibus, librorum sacrorum lectione
4. insignes. Cernuntur hinc inde vatum stationes, plaustris contenis circumseptae: eligatur, Brachmana, locus aliquis
5. commodus, ubi nos quoque deversari possimus. Audito Râmae sermone magnus vates Visvâmitras sedem sibi fecit in loco a ceteris segregato, aquarum copia instru-
6. cto. Confestim rex egregius, Visvâmitrae adventu cognito, antistitem sacrorum suorum laudatissimum Satâ-
7. nandum ducem secutus, aliis quoque sacerdotibus comi-

Digitized by Google

tantibus, pateram hospitalem manu tenens, festinanter
obviam ei processit, vir modestia insignis. Vates exi- 8.
mius autem, honorem a Janaco sibi habitum benigne
accepit, et percunctatus est regem de incolumitate et
prospero sacri successu. Similia deinde quaesivit ex 9.
antistite, religionum magistris ceterisque vatibus, quos
singulos secundum cuiusque dignitatem hilari vultu con-
salutavit. At rex, protensis manibus vatum principem 10.
adorans, Considere velis, inquit, vir venerande, inter
hosce vates egregios. Audito Janaci sermone consedit 11.
ille; iuxta eum consederunt antistes, sacerdotes et ipse
rex cum ministris suis. Quos quum omni ex parte se- 12.
cundum dignitatis gradus in sedilibus collocatos videret
princeps, Visvâmitram talibus affatur: Hodie apparatus 13.
sacrorum a Diis fructuosus mihi est factus; hodie prae-
mium inde percepi, siquidem sanctam tuam maiesta-
tem intueri mihi contigit. Sum felix, sum amplifica- 14.
tus, cuius ad solemnia coram spectanda tu, Brachmana,
cum anachoretarum coetu accesseris. Religionum periti 15.
aiunt, duodenos dies ad operandum nobis superesse:
tunc tibi, Causice, omnino visendi sunt Dii, suas singuli
portiones petituri. His dictis, rex denuo hilari vultu, 16.
manus reverenter protendens, vatum principem interro-
gavit: Hi duo adolescentes, quaeso, vigore deorum 17.
aemuli, leonum elephantorumque incessu gradientes, for-
tes, tigribus taurisque comparandi, grandibus oculis quasi 18.
loti foliis decori, acinacem, pharetram arcumque gestan-
tes, non minus formosi quam Asvines gemelli, prima
iuventa florentes, quasi forent Immortales, e Superûm 19.
sedibus sua sponte in terram devecti: quomodo pedestri
itinere huc pervenere? quo consilio? et cuiusnam sunt
nati, o vates? Illustrant sane hanc regionem sicuti Sol 20.

Digitized by Google

ac Lunus polum aetherium, similes inter se, pariles
21. statura, vultu gestuque [1]). Quo sermone magnanimi
Janaci audito vir gravissimus regem certiorem fecit, hos
22. esse Dasarathae natos; narravit ei quoque commorationem
in eremo Consummato, Gigantumque caedem; tum totius
itineris ordinem [2]), urbisque Visâlae conspectum; porro

---

1) Legeramus octo versus proxime praecedentes supra Cap. XLVIII, 2—5. Mos ille Homericus complurium versuum ambitum repetendi alienus est a poëta nostro: hoc unicum exemplum memini. Singula hemistichia contra satis multa recurrunt.

2) Non alienum erit, nunc totum iter, a Visvâmitra cum Dasarathidis permensum, relegere, ut eius ratio geographica, minus perspicua propter episodia interiecta, clarius elucescat. Proficiscuntur ab urbe Ayôdhya, ad dexteram Sarayûs ripam, et amnis cursum secuti, duobus itineribus diurnis ad eiusdem confluentes cum Gange deveniunt. Ibi denuo pernoctant in ipso angulo inter utrumque fluvium, ubi fuit Cupidinis eremus. Postero mane Gangem navi traiiciunt. Inde, via per Tâdacae silvam patefacta, ubi quietem capiunt, alterius bidui spatio ad Visvâmitrae secessum, Eremum Consummatum, accedunt. Hunc situm fuisse oportet inter Gangem et Sonum, a Varanasia (*Benares*) fere versus meridiem; alioquin Soni traiectus non silentio praetermissus foret. Quod si conceditur, sane magno circuitu Visvâmitras adolescentes ab Ayôdhya ad secessum suum deducit. Sed hoc fieri potuit, tum quia non ubique in Gangis ripa naves paratae essent, tum ut Tâdacaë silvam Râmas a monstri latrociniis vindicaret. Secundum iter ita instituitur, ut mane ab Eremo Consummato profecti, longam viam emensi, Soni ripam sinistram attingant, ibique stationem ponant. Neque tamen traiiciunt amnem, qui tanquam profundus et insulis distinctus describitur, (C. XXXVI, 4.) sed postridie recta ad Gangem pergunt, et in istius ripa

Digitized by Google

Ahalyae conspectum et congressum cum Gautamo; deni- 23.
que suum ipsius adolescentiumque adventum magni arcus
visendi gratia. Quae quum universa Janaco magnanimo 24.
exposuisset, conticuit inclytus vatum princeps.

---

australi pernoctant. Hanc stationem mediam fuisse inter Sarayûs et Soni confluentes cum Ganga apparet. Tertio die Gangem transvecti urbem Visâlam intrant et apud eius regem devertunt. Quarto denique die ad Mithilam perveniunt. Vidêhorum terra regioni, hodie *Tirabhukti* dictae, quae Gandace et Causica (Anglis *Coosy*) fluviis terminatur, respondet. De situ urbis Mithilae hoc loco nihil accuratius definitur, sed habemus indicium in itineribus postea descriptis. Janaci legati, curribus vecti et alte praecincti, viam a Mithila ad Ayodhyam triduo absolvunt; (C. LXVIII, 1.) Dasarathas senior comitatuque retardatus ad idem iter perficiendum quatriduo opus habet. Inde colligitur, Mithilam in occidentali Vidêhorum tractu esse ponendam, ut distantia quodammodo cum temporis ratione conveniat. Quanquam hoc non nimis est urgendum: etenim si Visvâmitras pedester duobus diebus ab Ayodhya ad confluentes Sarayûs cum Gange pervenire potuit, cum hemerodromi potius quam anachoretae passu progressum esse fatebimur.

Digitized by Google

CAPUT LI.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

1. SATANANDI SERMO.

1. Tali Visvâmitrae sollertis narratione audita, illustris Satânandus, sanctitate insignis, Gautami filius natu ma-
2. ximus, qui castimoniis augustum splendorem sibi quaesierat, pilis prae gaudio erectis, Râmae conspectu ad
3. summam admirationem raptus est. Qui aliquamdiu regios iuvenes coram sedentes contemplatus, ad Visvâmitram in sede sua compositum conversus, talibus infit:
4. Ecquid tu, vatum princeps, matrem meam fama celebratam, diuturnis castimoniis intentam, regio iuveni con-
5. spiciendam exhibuisti? Ecquid illa eadem, femina clarissima, oblatis silvestribus pomis honorifice excepit Râmam, dignum cui a cunctis mortalibus honos habeatur?
6. Ecquid tu, vir amplissime, Râmae narrasti veterem illam
7. memoriam flagitii a matre mea cum deo admissi? Ecquid, obsecro te, optime vates, mater post Râmae conspectum
8. cum patre meo ac magistro denuo est consociata? Ecquid pater benigno animo matrem meam, diuturnis castimoniis
9. lustratam, in gratiam recepit? Ecquid Cusici nate, Râmas inclytus, antequam huc proficisceretur, honorifice
10. habitus est a patre meo magnanimo? Cuius sermone audito, magnus vates Visvâmitras, ipse facundiae gnarus,
11. Satânando facundo haec retulit: Nihil neglectum, vir venerande: quicquid faciendum erat, perfeci. Conso-
12. ciata est cum vate uxor, sicuti Rênuca cum Bhriguide [1]).

---

1) Primo intuitu dubium videri potest, quinam ex Bhrigûs

Digitized by Google

Dicto sollertis Visvâmitrae audito illustris Satânandus ad
Râmam conversus talia fatur: Salve, optime Raghuide, 13.
qui tantum bonum mihi attulisti, Visvâmitram ducem
secutus, invictum Sapientem. Ille idem inter sapientes 14.
Brachmanas splendidissimus sanctimonia sua opus incre-
dibile perfecit; tu, fortissime iuvenis, nosti, quantum
sit in eo praesidium. Nemo alter in orbe terrarum te 15.
felicior est, o Râma, siquidem tibi contigit tutor Cusici
filius, qui tantos labores sanctimoniae caussa exantlavit.
Audi, quaeso! Declarabo viri magnanimi fortia facta et 16.
fata: tu mihi narranti ausculta. Fuit is rex iustus, per 17.
longum tempus hostium domitor; recti gnarus, doctrina
instructus, ac subditorum bono gaudens. Magni Parentis 18.
filius exstiterat olim rex, Cusus nomine; Cuso genitus est
filius fortis, piissimus Cusanâbhus; huius porro fuit filius, 19.
Gâdhis nomine celebratus; Gâdhes denique genuit filium
inclytum, magnum vatem Visvâmitram. Ille idem, orbem 20.
terrarum imperio regens, per multa annorum millia mu-

---

posteris hoc loco sit intelligendus. Nam patronymico hoc generali (*Bhârgava*) tum Bhrigûs filium Richîcum poëta designat infra C. LXI, 11—13,, tum eiusdem abnepotem, Râmam priorem, a patre Jamadagneium dictum. C. LXXIV, 17. At quandoquidem comparatio adhibetur de coniugibus post longas simultates in gratiam redeuntibus, sine dubio indicatur Jamadagnes, Rênucae maritus. In iis quae Râmas Securifer de rebus gestis suis narrat C. LXXV, nulla est Rênucae mentio. Alludit Vâlmîces ad fabulam mihi ignotam, nec facile cum iis quae Angli, ex fonte nescio quo hausta, de Jamadagneii matre tradunt. *Moor Pantheon*, p. 190, 191. *Polier Mythologie des Hindous*, Vol. I, p. 281 sqq. Aliter *Wilford*, As. RES. Vol. XIV, p. 425, 426.

Digitized by Google

21. neribus regiis functus est. Aliquando autem vir strenuus, collecto exercitu, plenissimis legionibus circumda-
22. tus orbem terrarum peragrabat. Qua in expeditione urbes, regna, flumina, montium iuga ac secessus subinde
23. ille invisens, accessit tandem ad Vasishthae sedem silvestrem, variis floribus, fruticibus, arboribus consitam, variis ferarum gregibus frequentem, a Beatis Superûm-
24. que praeconibus cultam; a Diis, Danuidis, Fidicinum choris, Hippocephalisque praesentia sua amplificatam; mansuetis capreolis frequentem, avium catervis circum-
25. volitatam; faustam, perpetuo plenam viris religiosissimis, castimoniarum consuetudine consummatis, ignis instar
26. fulgentibus, magnanimis, ad divinitatem efformatis; aquae vel aëris haustu pro cibo utentibus, foliis aridis aut pomis radicibusque vesci consuetis, temperantibus, domito
27. irae sensuumque impetu sui potentibus; a Sapientibus *ex Brachmanis pilis* pollicari statura genitis, tacitae precationi et igni sacro alendo intentis, aliisque ascetarum
28. generibus undique amplificatam. Talem Vasishthae sedem, quasi alteram BRACHMANIS sedem, invisit bellatorum praestantissimus Visvâmitras animosus.

Digitized by Google

CAPUT LII.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

2. VISVAMITRAS AD EPULAS INVITATUS.

Viso Vasishtha strenuus belli dux Visvâmitras, sum- 1.
mo gaudio affectus, officiose piissimum virum adoravit.
A quo magnanimo salutatus est voce gratum sibi illius 2.
adventum testante. Deinde venerabilis Vasishthas ei ap-
paravit sedile, in quo postquam sollers Visvâmitras con- 3.
sederat, anachoreta eximius, sicuti decebat, poma silve-
stria radicesque esculentas ei obtulit. Quo honore ho- 4.
spitali grate accepto rex praestantissimus, inclytus Vis-
vâmitras, quaesivit ex Vasishtha an recte valeret. Is qui- 5.
dem regi refert, omnia ipsi salva esse: religiones, ignes
sacros, discipulos, arborumque pomiferorum nemora.
Tum sanctus Vasishthas, vir in tacita precatione assiduus, 6.
BRACHMANIS filius, commode sedentem Visvâmitram invi-
cem interrogavit: Num tibi, o rex, res prospere succe- 7.
dunt? num subditos, iustitia tua conciliatos, tueris, re-
gio munere probe functus? Num famuli victu a te curati 8.
tibi dicto sunt audientes? Num tu, hostium interfector,
cunctos hostes debellasti? Num tibi, fortissime ac iustis- 9.
sime princeps, quantum ad copias militares, ad aeraria,
ad socios, ad liberos nepotesque attinet, omnia sunt
salva? Inde rex inclytus Visvâmitras, qua erat modestia, 10.
Vasishthae incolumem omni ex parte rerum suarum sta-
tum declaravit. Tales sermones per aliquantum tempo- 11.
ris inter se serentes viri optimi, magna laetitia affecti
alter altero delectabantur. Tunc in fine colloquii vene- 12.

Digitized by Google

rabilis Vasishthas Visvâmitrae hanc orationem subridens
13. proposuit: Hospitio excipere cupio istum exercitum tuum,
dux potentissime, ac temet ipsum pro amplissima digni-
14. tate tua; annuas mihi velim. Hanc observantiam a me
oblatam benigne accipe, o rex! Tu, hospitum praestan-
15. tissimus, impense colendus es. At prudens Visvâmitras
a Vasishtha ita compellatus, Iam factum est, inquit, quod
16. cupis, colloquio honorifice mecum habito; pomis radici-
busque oblatis, qualia in secessu tuo leguntur; pedum
lavatione, et aqua ad os eluendum subministrata; ipso
17. denique sanctitatis tuae adspectu. Omnimodo honorifice
habitus a te, vir sapientissime, cui ipsi honos debetur,
18. abibo. Salve, oculisque benignis me respice! Talia di-
centem regem pius Vasishthas, excelsi animi vir, etiam
19. atque etiam invitare. Tandem Gâdhides ei assensus,
Euge! inquit, quomodo tibi placet, vatum princeps,
20. ita fiat! Hisce annuentis verbis compellatus Vasishthas,
tacitae precationis peritissimus, confestim advocat vac-
21. cam maculosam ab omni macula puram: Veni age,
Maculosa! Cito adveni, ut iussa mea audias. *Invisit se-*
22. *cessum nostrum inclytus Visvâmitras;* hunc regem sa-
pientem cum ipsius exercitu lautissimis epulis honorare
23. decrevi: has tu mihi appara. Quicquid cuilibet e sex
saporibus exquisitissimum collibuerit, id omne tu, divina
24. copiae vacca, in gratiam mei largo imbre effunde. Ex
saporato, alibili, potulento, ad liguriendum et sorbillan-
dum accommodato conflatum plenissimum dapium cumu-
lum praebe, et quidem sine mora.

Digitized by Google

CAPUT LIII.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

3. COLLOQUIUM VASISHTHAE CUM VISVAMITRA.

Ita admonita a Vasishtha, iuvenis bellicose, vacca 1.
ista maculosa, a lactea uberum copia dicta, apparavit
varias dapes, quae cuique gratissimae essent: cannas 2.
sacchariferas, mella, grana tosta, latices ex lythri fruticosi
floribus liquatos, potusque delicatissimos, nec non cibos
cuiuscunque generis. Apponebantur ibi caldae oryzae 3.
coctae acervi montium instar, condita edulia, sorbitio-
nes, lactisque spissati lacus quoque, porro liquorum va- 4.
rii generis dulcium mellitorumque vasa bene plena, et
innumera bellaria. Universus Visvâmitrae exercitus, sin- 5.
gulis convivis satiatis ac refectis, lauto Vasishthae hospi-
tio magnopere delectatus est. At rex prudens, quum 6.
ipse iucunde ac large epulatus esset cum sodalibus con-
siliorumque sociis, cum famulis denique, militibus iumen-
tisque, laetitia elatus Vasishtham talibus affatur: Honora- 7.
tus sum a te, Brachmana, cui ipsi honos debetur, lau-
tissimo hospitio. Ausculta! sermonem aliquem proponam 8.
tibi, sermocinandi gnaro. Detur mihi vacca ista macu-
losa, centum millibus vaccarum commutata. Sane, vir 9.
venerande, haec est gemma: reges vero gemmarum, *quae*
in ipsorum ditione inveniuntur, sunt participes. Qua-
propter da mihi vaccam: etenim iure mea est. Ita com- 10.
pellatus a Visvâmitra sanctus Vasishthas, anachoretarum
princeps, terrae domino haec reponit: Equidem, o rex, 11.

Digitized by Google

neque centum millibus vaccarum, nec vel millies centenis
millibus commutatam dabo maculosam istam, neque ingen-
12. tibus argenti acervis. Haud sane meruit ea, ut a me meaque
culpa deseratur, hostium domitor! Semper fida mihi
comes est haec vacca, sicuti bona fama viro sapienti.
13. In ea nituntur Deûm Maniumque religiones, ipsius vitae
sustentatio, ignium sacrorum cura, libatio quae cunctis
animantibus spargitur, pinguis quoque laticis sacris de-
14. stinati copia, voces bene auspicatae in litando nuncu-
pandae, variae denique artes: haec universa in eadem
15. niti, rex prudentissime, dubitare noli. Illa est re vera
opum mearum summa; illa eadem mihi in deliciis habe-
tur: multis de caussis, o rex, non tradam tibi vaccam
16. istam maculosam. Quam quum repulsam a Vasishtha
tulisset Visvâmitras, sermocinandi gnarus, multo vehe-
17. mentius sermonem prosecutus, Dabo tibi, inquit, ele-
phantos dentatos, aureis cingulis torquibusque instructos,
aureo vectoris unco ornatos, ad quatuordecim millia;
18. dabo tibi octingentos currus auro insignes, candidis
19. equis iunctos, quadriiugos, tintinnabulis ornatos; equo-
rum patria et stirpe nobilium, animosorum, undecim
20. millia dabo tibi, vir sancte, porro vaccas variis colori-
bus distinctas, iuvencas, dabo tibi ad centies centena mil-
21. lia, dummodo mihi detur maculosa ista. Quantum gem-
marum aurive tu poposceris, Brachmanum optime, id
22. omne tibi dabo, dummodo mihi detur maculosa ista. Ita
compellatus vir venerandus a sollerti Visvâmitra, Nullo
23. modo, inquit, o rex! eam dabo. Haec eadem est mea
gemma, hae sunt meae divitiae; haec est opum summa,
24. in hac posita est vita mea. Hac eadem, o rex! continentur
interlunii ac plenilunii solennia, et sacra cum debitis largi-
25. tionibus coniuncta, variaeque caeremoniae. Ex hoc fonte,

Digitized by Google

ne dubites, manant religiones meae omnes. Quid attinet, multa nugari? Non dabo tibi copiae vaccam.

CAPUT. LIV.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

4. PUGNA VISVAMITRAE CUM SACIS EORUMQUE SOCIIS.

Vasishthas anachoreta quum copiae vaccam omnino 1.
dimittere nollet, tunc rex Visvamitras eam ab illo vi
abstrahere coepit. At vero dum abducebatur regis ani- 2.
mosi iussu, vacca ista, animi aegra, gemens, moerore
afflicta, talia secum volvebat: Cur tandem ego a Vasish- 3.
tha magnanimo descror, quippe quam miseram, vehe-
menti dolore affectam a regis satellitibus rapi patiatur?
Quidnam male merui de Sapienti isto alta mente prae- 4.
dito, quod me, quam cognovit insontem ipsique dedi-
tam, vir pius deserit? Quibus tacite perpensis illa, ite- 5.
rum atque iterum ingemens, subito velocitate incredibili
evasit, Vasishthamque petiit. Protinus dissipavit regis 6.
satellites magno numero, et cum procellae impetu ac-
currens ante pedes magnanimi procubuit. Ibi coram 7.
Vasishtha copiae vacca, flebile quid mugiens, qualis est
gravis tympanorum coelestium sonitus, talia fatur: Alme 8.
BRACHMANIS fili, cur ego a te descror, ut adeo regii
satellites me tuo a latere abstrahant? Ita compellatus va- 9.
tes divinus illam, cuius cor moerore angebatur, tanquam
sororem aegram hisce dictis consolari: Non equidem te 10.

Digitized by Google

desero, iuvenca, neque tu quicquam in me peccasti: sed
en! rex iste potentissimus, copiis bellicis superbiens, te
11. abduci iubet. Haud sane vires meas pares certamini arbi-
tror, cum rege praesertim; is enim validus est, tum ex
12. bellatorum stirpe oriundus, tum terrae dominus. Adest,
ecce! exercitus plenissime delectus, elephantis, equis
curribusque frequens, peditum vexillis numerosus: hinc
13. iste multo plus pollet. Sic admonita a Vasishtha illa,
loquendi gnara, vatem splendore incomparabilem humi-
14. liter contra alloquitur: Non laudant prudentes bella-
torum pollentiam; Brachmanae plus pollent. Brachma-
15. num pollentia est divina, ac bellica potior. Immensa
tibi inest pollentia, neque te plus pollet Visvâmitras,
quamvis fortitudine excellens: tua maiestas est difficilis
16. aggressu. Impera mihi, quam tu, vir auguste, divina
pollentia tibi parásti; ego istius superbiam copiasque
17. quantascunque disperdam. Huic adhortationi assentiens
inclytus Vasishthas, Crea, inquit, copias hostilibus copiis
18. conterendis pares. Tum rauco Vaccae mugitu procreati Pah-
lavi innumerabiles profligavere totum Visvâmitrae exerci-
19. tum, ipso coram spectante [1]). At rex, vehementi ira incen-

---

1) Ad dist. 18—23. Vulgo notum est Persas Indis *Pahlavos* audisse. *Sacae* sunt gentes nomades Asiam interiorem habitantes, Graecorum Scythae, quos et Persae, Herodoto teste, plane ut Indi Sacas appellabant. Lib. VII, 64. *οἱ γὰρ Πέρσαι πάντας τοὺς Σκύθας καλέουσι Σάκας*. *Yavanorum* nomen satis indefinite usurpari videtur de populis ultra Persiam versus occidentem sitis. De Bactris, quos *V. Cl. Wilso* huc advocat, dubito. At Arabes iam olim ita appellatos fuisse patet ex nomine thuris inde deducto, *yâvana*, quod *Amarasinhas* habet ED. COL. p. 162, d. 30. Post Alexandri

Digitized by Google

sus, oculis prae furore coruscantibus, Pahlavos invicem profligavit telis cuiuscunque generis. Protinus vacca, 20.
quum Pahlavos ingenti clade a Visvâmitra affectos cerneret, denuo creavit feroces Sacas cum Yavanis commixtos. Hisce inter se commixtis Sacis Yavanisque cooperta 21.
est tellus. Erant fulgidi, praevalidi, densitate catervarum aureis loti filis similes, acutos enses ac bipennes 22.
gestantes, loricis aurei coloris contecti: a quibus tanquam a candentibus flammis totus iste exercitus combustus est. Deinde inclytus Visvâmitras tela sua iaculari, quibus 23.
Yavani, Câmbôji Barbarique turbati ac fusi fuere.

Magni tempora scriptores Indi et Graecos *Yavanos* dixere, qui mos iis cum Persis fuit communis. Memorabilis sane est similitudo vocabuli Indici cum Ionum nomine, cuius antiquissima forma fuit *Ἰάονες*, et digammo restituto *ΙΑΓΟΝΕΣ*. Nec tamen hoc nomen est vere Homericum: nam unicus locus, ubi id legitur, (IL. N. 685) manifesto est interpolatus. Cf. *Heynii* et *Knightii* annott. ad h. l. Inde mihi quidem probabile fit, Ionum maiores in ipsa Graecia ante migrationem nondum ita dictos fuisse, vocemque esse barbarae originis; colonos autem longo demum tempore postquam Asiae Minoris oram insederant, quum a vicinis Lydis ita appellari consuevissent, Ionum nomen sibi proprium fecisse. Traxerunt et alia ex imitatione barbarorum: unde enim nisi hinc epitheton *ἑλκεχίτωνες?* (IL. l. l. et Hymn. in Apoll. 147.) Apud Indos contra vocabulum *yavana* est antiquissimum; legitur in Manûs Codice, X, 44. Memorantur ibidem praeterea Câmbôji, Sacae, Pahlavi, aliique, de quarum gentium situ commentator *Cullûcabhattus οὐδὲ γρύ*. In rebus geographicis plerumque a Scholiastis frustra auxilium exspectatur. De *Câmbôjis* cf. supra annott. ad VI, 21.

Digitized by Google

CAPUT LV.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

5. VASISHTHAE EREMUS INCENDIO CONSUMTUS.

1. Quos quum Visvâmitrae telis attonitos in fugam actos cerneret Vasishthas, copiae Vaccam cohortatus est,
2. ut omni cum cura copias bellicas crearet. Huius ex rauco mugitu exstitere Câmbôji, solis instar fulgidi; ex uberibus porro prodiere Barbari, tela manibus vibrantes;
3. e locis genitalibus Yavani, e stercoris meatu Sacae orti memorantur [1]); ex minutissimis in cute foraminibus, quibus pili insident, homines feri, ignotis linguis utentes,
4. Hârîti cum Kirâtis, qui temporis momento universas Visvâmitrae copias, tum pedites, tum elephantos, equos
5. currusque, internecione delevere. At viso toto exercitu Vasishthae magnanimi ope pessumdato, filiorum Visvâmi-
6. trae centuria, armis varii generis instructa, ira flagrans, irruit in virum tacitae precationis peritissimum: quos
7. omnes summus vates gravi oris fremitu combussit. Sic

---

1) Est lusus etymologicus in membris, unde vacca copias Yavanorum et Sacarum, vel potius copiarum simulacra emittit. Qui deinde ceteris supra enumeratis adduntur, *Hârîti* et *Kirâti*, sunt ipsius Indiae incolae feri, qui hodieque saltuosa montium occupant, stirpe et indole ab Indis prorsus diversi. Cf. quae de iis disserui, *Transactions of the Royal Society of Litterature*. VOL. II, P. II, p. 423—426.

Digitized by Google

illico Visvâmitridae cum equis, curribus peditibusque in
cineres sunt conversi. Tunc horum omnium totiusque 8.
exercitus clade conspecta dux gloriossimus, pudore offu-
sus atque animi aeger, erat qualis oceanus aestu sedato; 9.
qualis serpens dentibus evulsis; qualis Sol deliquium
passus, iubare protinus obscurato; qualis volucris alis 10.
decurtatis: talis ille miser, post natorum exercitusque cla-
dem, omni virium contentione dimissa, ad sui contem-
ptum deiectus est. Igitur filium unicum, *qui ei resta-* 11.
bat, admonitum ut terram bellica virtute tueretur, im-
perio quum praefecisset, ipse in silvarum secreta migra-
vit. Quo profectus in quodam Himavantis clivo, consueta 12.
Hippocephalorum Anguiumque sede, vir continentissimus
Sivae placandi gratia castimoniis sese castigavit. Post 13.
aliquantum temporis vero deûm princeps, qui taurum
in vexillo gestat, optatorum dator, apparuit Visvâmi-
trae fortissimo. Quam ob caussam, inquit, temet ex- 14.
crucias, o rex? Eloquere animi tui sententiam. Opta-
torum dator sum: declaretur optatum quod maxime
tibi cordi sit. Ita admonitus a deo Visvâmitras reli- 15.
gionibus addictus, magnum numen prostrato corpore
adorans, hanc orationem protulit: Quod si tibi, Alme, me 16.
probavi, tradatur mihi sagittandi disciplina numeris suis
absoluta, cum subsidiis arcanisque [1]); et quotquot exstant 17.
tela apud Deos, Danuidas, Sapientes, apud Fidicines,
Genios, Gigantesque, ea mihi affulgeant. Tuo favore, Di- 18.

---

1) Haec ad litteram exprimi non poterant. Luditur enim in vocabulis *Véda* et *dhanur-véda*, quasi haec, sagittandi disciplina, iisdem partibus constaret, quae in libris sacris habentur, iisdemque subsidiis egeret, quae Vedorum studio accensentur.

Digitized by Google

19. vûm Dive, optatum mihi eveniat. »Esto! fiat quod pe-
tis!« ita profatus Sivas in coelum rediit. At Visvâmi-
tras validissimus, simul ac tela ipsi obtigerant a deorum
20. principe, summa laetitia affectus, denuo superbire coepit.
Altius animis insurgens, sicuti aestu oceanus in interlu-
21. niis, Vasishtham, vatem praestantissimum, iam tum oc-
cisum arbitrabatur. Profectus ergo ad eius secessum,
22. tela emisit, quorum impetu quidem sacrum illud nemus
plane conflagravit. Anachoretae, quum telum a sollerti
23. Visvâmitra eminus missum cernerent, pavidi quoquover-
sus catervatim diffugiebant. Tum Vasishthae discipuli,
24. quotquot erant, tum ferae volucresque, turba innumera,
pavore trepidantes in diversas coeli plagas dissipari. Va-
25. sishthae secessus vacuus fuit, silens ad breve tempus,
vastae solitudinis instar, ipso interim suos identidem in-
26. clamante: Ne pavete! hodie delebo Gâdhidem, sicuti Sol
pruinas. Talia fatus excelsus Vasishthas, tacitae preca-
27. tionis peritissimus, indignabundus deinde Visvâmitram
hisce increpat: Quoniam tu secessum diu florentem pes-
sumdedisti, quoniam vecordia tua te in nefas adegit,
iamiam te periturum esse scito.

Digitized by Google

CAPUT LVI.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

6. VISVAMITRAE PROPOSITUM.

Ita compellatus a Vasishtha Visvâmitras validissi- 1.
mus, Igneum telum ostentans, Siste te! siste! clamabat.
At venerandus ille, BRACHMANIS sceptrum vibrans, mina- 2.
citer talia profatur: Bellicae stirpis alumne! tute iam con- 3.
tra stando, quantum polleas, palam facito! Hodie retun-
dam superbiam tuam, Gâdhis nate, telique tui aciem.
Immensum quantum bellica ista tua pollentia distat a 4.
summa pollentia sacerdotali. Hanc, divinitus mihi tradi-
tam, experiere, bellatorum vilissime! Protinus telum 5.
istud horrendum, Igneum, a Gâdhis filio sublatum, Brach-
manis sceptro exstinctum est, sicut ignis impetus fluctibus.
At heros Gâdheius, ira furens, coniecit Varuni, 6.
Rudri, Indrae, pecudumque Altoris tela; telum Humanum, 7.
nec non Delenimentum, Fidicinum coelestium proprium,
Soporiferumque; Oscedinem atque Illecebram, *telum Cupi-*
dineum; Tormentum Lamentumque; Torridum porro ter- 8.
roris plenum, tum telum Fulmineum invictum; Brachmanis
laqueum, Fati laqueum, nec non Varuni laqueum; Triden- 9.
tiferi telum dilectum, tum duo fulgura, *Siccum* et *Humidum;*
Vindictae telum, porro Lemurum telum, Ardeae rostrum
quoque; Iuris discum, Fati discum, pariterque Vishnûs 10.
discum; tum Turbinem, Venti proprium, ac telum Hippo-
cephalum; coniecit quoque binas hastas, nec non pistillum 11.
ossifragum; tum ingens Aligerorum telum, Fatique te-
lum terribile; horridam fuscinam tricuspidem, denique 12.

Digitized by Google

manicam e craniis contextam [1]). Haec tela, quotquot
13. erant, coniecit ille in Vasishtham piissimum, ita ut mi-
raculi instar esset: at eadem universa Brachmanis filius
14. sceptro suo devorat. Quibus exstinctis Gâdheia proles
coniecit Brachmanis telum; quod quum expromtum cer-
15. nerent, Superi cum duce suo Igne, coelestes Sapientes,
Fidicines magnique Serpentes consternati fuere; contre-
16. muit tergeminus mundus Brachmanis telo emisso. Id
ipsum quoque telum terrificum divinae maiestatis ope
17. vates totum devorat Brachmanis sceptro. Vasishthae ma-
gnanimi Brachmanis telum devorantis species fuit atrox,
18. horrenda, qua tergeminus mundus obstupesceret. Ex
minutissimis in eius cute foraminibus, unde pili nascun-
tur, absistebant quasi scintillae igneae, fumo fulgorem
19. obscurante; ardebatque Brachmanis sceptrum, Vasishthae
manu libratum, tanquam fatalis mundi conflagratio, fu-
mida caligine involuta, vel tanquam alterum Yamae *regis*
20. *inferorum* sceptrum. Tunc Sapientum cohortes laudi-
bus celebrabant Vasishtham tacitae precationis peritissi-
mum: Ineluctabilis est vis tua, o Brachmana! sed vigo-
21. rem tuum ipso vigore cohibe. In ordinem coactus est
a te Visvâmitras validissimus; placatus iam sis, vates

---

1) Cf. CAP. XXIX, et ibi annotata de telis hisce mythicis partimque allegoricis. Multa supra memorata recurrunt; in aliis variatum est, ut adeo alterius capitis lectiones ex altero illustrari vel emendari possent, si operae pretium foret. Significatio fabulae in universum satis est perspicua. Certant de summo imperio potentia regia sive militaris, et auctoritas sacerdotalis, quales contentiones inter Pontifices et Imperatores nostra quoque Europa medio aevo vidit, unde sine armorum vi sacerdotium saepe victoriam reportavit.

Digitized by Google

piissime! Mundi iam angoris immunes sunto. Ita admo- 22.
nitus vir gravissimus ac sanctissimus tranquillitatem re-
stituit. Visvâmitras vero profligatus, alte suspiria tra-
hens, talia fatur: Proh nihili bellatorum pollentia! Brach- 23.
manum pollentia vere pollet: solo Brachmanis sceptro
omnia tela mea sunt fracta. Quamobrem ego, re probe 24.
perspecta, placidis sensibus animoque ad austeras casti-
monias me convertam, quae Brachmanae conditionem
mihi parare possint.

CAPUT LVII.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

7. TRISANCUS SERMO.

Deinde ille, aegritudine cordis confectus, cladis 1.
suae memor, identidem ingemens, pro hoste habitus a
vate magnanimo, ad plagam australem profectus cum 2.
coniuge regia, Raghuide, pomis silvestribus radicibusque
vescens, temperans, severissimas castimonias coluit. Postea 3.
ei nati sunt filii, veri ac recti studiosi, Havishyandus,
Madhushyandus, Dridhanêtrus, magno curru invectus.
Expletis autem mille annis, BRACHMAN, magnus mundi 4.
Parens blanda oratione Visvâmitram ascetam eximium
affatur: Meruisti castimoniis istis, Cusici progenies, bea- 5.
tas regum sapientium sedes; ideo te utique regem sa-
pientem esse statuimus. His dictis augustus mundo- 6.
rum dominus cum ceteris numinibus rediit in summam

Digitized by Google

7. coeli partem, sedem suam aeternam. Visvâmitras contra, hac sententia audita, vultum prae pudore nonnihil deiectus, gravi dolore aestuans, indignabundus haec
8. secum loqui: Severis custimoniis memet castigavi; tamen Dii Vatesque uno ore regem sapientem modo me esse
9. statuunt. Nullus est, puto, religionum fructus. Sic re deliberata vir religiosissimus suique maxime compos, rursus severioribus adeo castimoniis sese adstrinxit.
10. Eodem autem tempore florebat vir veridicus, temperans, Trisancûs nomine celebratus, Ixvacuidarum colu-
11. men [1]). Is consilium mente concepit de sacrificio adornando, cuius ope cum ipso corpore ad superas deo-
12. rum sedes evehi mereretur. Vasishthae igitur ad se arcessito propositum enarrat, sed a vate magnanimo re-
13. sponsum tulit, id nullo modo fieri posse. Post repulsam a Vasishtha relatam rex, ad regionem australem profectus, istius filios adiit, ut in opere perficiendo se
14. adiuvarent. Quos quidem, splendidissimam Vasishthidarum centuriam, conspexit inclytus Trisancus, in religio-
15. nes integra mente intentos. Accessit itaque rex ad magnanimos magistri sui filios, singulisque ex ordine salu-
16. tatis, vultum prae pudore paullulum deiectus, manus suppliciter protendens, viros eximios in commune allo-

---

1) *Trisancus* rex Ayodhyae septimus fuit ab Ixvâcû, in qua eadem successionum serie Dasarathas locum trigesimum quartum occupat. Cf. CAP. LXX. Reiicimur ergo ad tempora valde antiqua, quo nec mirum est res gestas Visvâmitrae et Vasishthae referri, quippe qui uterque auctores hymnorum quorundam in Vedis habentur. Miramur potius, eos Râmae aetate superstites fingi potuisse. Sed cf. quae ad CAP. VII, 3. monuimus.

Digitized by Google

quitur: Perfugium ego, consilii inops, quaero apud vos, qui miseris succurrere soletis. Bene sit vobis! Repulsam 17. nimirum tuli a Vasishtha magnanimo, dum sacrificium maximum celebrare cupio: cuius suscipiendi veniam mihi dare, vestrum est. Equidem omnes magistri mei filios 18. salvere iussos adoro, atque inclinato capite obsecro vos, Brachmanas religionibus addictos: operamini meam vicem 19. sacro diligenter faciundo, cuius ope ego cum ipso corpore superas deorum sedes nanciscar. Post repulsam 20. a Vasishtha relatam aliud praesidium, viri sancti, nisi apud magistri filios, nullum plane video. Enimvero 21. Ixvacuidarum omnium domesticus sacrorum antistes summum est praesidium: huic vos proximo loco constituti, numinis instar mihi estis.

CAPUT LVIII.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

8. TRISANCUS EXSECRATIO.

Trisancûs oratione audita, centeni vatis filii, ira 1. commoti, regi talia regerere: Repulsus fuisti, o demens! 2. a magistro tuo veridico. Quomodo, huius auctoritatem transgressus, ad aliam sectam te conferre audes? Enimvero 3. Ixvacuidarum omnium domesticus sacrorum antistes summum est praesidium, neque licet transgredi dictum veridici. »Fieri nequit!« sic effatus est almus vates Va- 4. sishthas. Quomodo ergo nos sacrum istud pro te ador-

Digitized by Google

5. nare potis sumus? Stolidus tu; redi, o rex, ad imperii
tui sedem. Vir sanctus ille vel tergemini mundi sacris
6. praeesse potis est. Quorum orationem, turbido prae ira
sono prolatam, quum audivisset, denuo illis rex talia
7. regerit: Repulsam tuli a viro sancto, pariterque a magi-
stri natis; aliam viam ingrediar: vos, viri religiosi, va-
8. letote! At vatis filii, simul atque audierant sermonem
nefarii propositi indicem, vehementer irati diras ei im-
9. precari: Transibis in Chandâli conditionem. His dictis
magnanimi illi ad suum quisque secessum rediere. De-
inde quam primum nox praeterierat, postero mane rex
10. in Chandâlum mutatus fuit. Fuscis vestibus amictus,
ipse fuscus, maculis deturpatus, deciduis capillis calvus,
foliis arboris infelicis ustrinum obumbrantis erat redimi-
11. tus, ac ferrea ornamenta gestabat. Quem talem, Chan-
dâli speciem indutum, conspicati ministri regii et quot-
quot cives in eius comitatu erant, deseruerunt caterva-
12. timque aufugerunt. At rex solivagus, memori mente,
diu noctuque aestuans, adiit Visvâmitram castimoniis lu-
13. stratum. Viso autem rege masculi vigoris orbo, in Chan-
dâli speciem mutato, Visvâmitras anachoreta misericordia
14. tactus est. Miseritus regis visu horrendi inclytus ille,
recti studiosissimus, talibus eum affatur: Salve mihi!
15. Quaenam est adventus tui caussa, validissima regum pro-
genies, Ayodhyae domine, heros, qui diris in Chandâli
16. conditionem es deiectus? Cuius alloquio intellecto rex,
Chandâli adspectu deformis, manus suppliciter proten-
17. dens, facundiae gnaro ipse facundus haec refert: Repul-
sam tuli a magistro, pariterque a magistri filiis; et opta-
tum quidem istud, *quod ab iis petieram*, non adeptus,
18. calamitatem nactus sum. Haec nimirum opinio mihi in-
sederat, o bone! ut in coelum cum ipso corpore subi-

Digitized by Google

rem. Quem in finem centenis sacris operatus sum, nec tamen praemium istud impetratur. Nullum antehac 19. mendacium dixi, neque unquam sum dicturus, vel maxime miseriis oppressus, o bone! Per militis fidem tibi iuro: sacra varii generis litavi; cives aequo imperii iure 20. rexi; probavi me magnanimis magistris morum honestate. Sed mihi in religiones intento, et sacrificium 21. celebrare cupienti, ad approbationem non adducuntur magistri, vatum praestantissime! Fatum, puto, ubi- 22. que dominatur, humani conatus vero sunt irriti. Fato omnia corripiuntur; fatum est summum columen. En, 23. me vehementer afflictum, desiderio aegrum, cuius coepta fato percelluntur, benigne sublevare te decet, quod bene tibi vertat! Nullum aliud prospicio praesidium; nullum 24. aliud perfugium mihi restat. Virili opera fatum repellere te decet.

CAPUT LIX.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

9. VASISHTHIDARUM EXSECRATIO.

At regem talia memorantem, manifesto in Chandâli 1. conditionem mutatum, Cusici natus, misericordia motus, blandis verbis affatur: Salve, Ixvâcuide! Faustum adven- 2. tum tibi precor, filiole! Novi te iustissimum; perfugium tibi praestabo: ne timeas, princeps eximie! Ego invitabo 3. omnes magnos Sapientes, sanctimonia spectatos, ad huius sacrificii consortium: tunc tu, rex, curis exsolutus lita-

Digitized by Google

4. bis. Quae forma magistrorum diris effecta in te apparet,
hanc eandem indutus cum ipso corpore ad coelum ibis.
5. Sedes superas equidem arbitror te iam manu tenere,
quippe qui, consilii inops, apud Cusicidem praesidium
6. quaesivisti. Sic fatus vir inclytus, filiis suis recti stu-
diosis ac prudentissimis mandavit, ut sacrificii appara-
7. tum curarent. Deinde, cunctis discipulis convocatis,
talem habuit orationem: Cunctos vates, nec non Va-
8. sishthidas, adducitote meo iussu, et quod quisque re-
sponsum dederit, meorum dictorum auctoritate admoni-
tus, id universum, qualecunque sit, sine ullo respectu
9. mihi est nuntiandum. Dictis hisce auditis discipuli quo-
quoversus profecti sunt eius iussu. Convenere deinde ex
10. omnibus terris voluminum sacrorum interpretes. Disci-
puli quoque, reversi ad anachoretam maiestate splenden-
tem, referebant ei quae singuli voluminum sacrorum in-
11. terpretes dixissent. »Dicto tuo audito universi viri bis
nati conveniunt, ex omnibus terris huc profecti, excepto
12. tamen Mahôdayo [1]). Centeni isti Vasishthidae turbido
prae ira vocis sono quemnam atrocem sermonem protu-
13. lerint, audi tu, anachoretarum princeps! — Cui sacrificus
est homo militaris, Chandâlo praesertim, quomodo in
huius consessu Dii Sapientesque coelestes latice pingui
14. vescentur? Aut quomodo tandem Brachmanae magnani-
mi, delectati epulis Chandâlorum, in coelum evehentur,
15. Visvâmitrae patrocinio tuti? — Tales verborum contume-

---

1) *Mahôdaya*, i. e. magnus oriens. Res est prorsus inexspectata, quod hoc cognomen, nusquam in toto carmine obvium nisi hic et infra dist. 15, pro Vasishthae nomine proprio substituitur. Num poëta alludit ad aliquod Vêdorum dictum?

Digitized by Google

lias, vatum princeps, nobis dixere oculis flagrantibus
cuncti Vasishthidae cum ipso Mahôdayo.a Discipulorum 16.
suorum narratione audita, vates praeclarus oculis prae
ira flagrantibus indignabundus exclamat: Quoniam me 17.
insontem, qui austeras castimonias sustinui, criminántur,
immansueti isti in cineres convertentur; ne dubitetis!
Protinus fati laqueo illi ad Iudicis inferorum domum 18.
abstracti, per septingentas generationes vespillones et
carnifices renascuntor. Canina carne vesci coacti, latro- 19.
nes nimirum immites, turpes deformesque per hunc orbem
terrarum vagantur. Ipse Mahôdayus demens in me, im- 20.
meritum sane, probra iecit; ideo probrosus omnium
iudicio in venatoris feri conditionem transibit. Gaudens 21.
animantium caede, ad crudelitatem propensus, per diu-
turnum tempus irae meae obnoxius in statu abiecto ver-
sabitur. Hactenus prolata sententia, conticuit vir gravis- 22.
simus in isto anachoretarum coetu.

CAPUT LX.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

10. TRISANCUS IN COELUM SUBLATUS.

Postquam sanctitatis suae vi Vasishthidas ipsumque 1.
Mahôdayum perculerat, inclytus Visvâmitras Sapientum
coetum hunc in modum affatur: Adstat hic, en! Ixvâcûs 2.
in imperio heres, Trisancûs nomine celebrátus; vir iustis-

Digitized by Google

simus et munificus, qui quidem apud me praesidium
3. quaesivit. A vobis, viri honestissimi, mecum una appa-
retur tale sacrificium, cuius ope is cum ipso corpore in
4. Superûm sedes transeat. Audito Visvâmitrae dicto, egre-
gii hi anachoretae, istius metu turbati, mutuo inter se
5. consultare. Vates hicce, Cusici heres, pronus est ad
iracundiam; quod protulit dictum, diligenter id est per-
6. ficiendum: ne dubitetis. Ignis instar exardescit vir san-
ctus: diras in nos iaciet ira commotus; quapropter ap-
paretur sacrum, sicuti declaratum est a magno Sapiente;
7. omniqué conatu est annitendum, ut Ixvâcûs heres, Vis-
vâmitrae maiestate adiutus, cum ipso corpore in coelum
8. transeat. Ergo inchoatum est sacrificium omnibus appa-
ratibus instructum, quibus in solennibus augustus Visvâ-
9. mitras sacrifici munere fungebatur. Sacerdotes quoque,
carminum gnari, secundum dignitatis suae gradus, verba
praeeuntes rite ex praeceptis sacris cunctas caeremonias
10. perficiebant. Deinde, post aliquantum temporis, egre-
gius asceta Visvâmitras comprecationem omnium deorum
fecit, ut suam quisque epularum partem capesserent.
11. Quum vero dii, ad epulas invitati, nulli convenirent,
tunc vehementer incensus magnus vates Visvâmitras, ca-
12. pedine alte sublata, irae plenus Trisancum talibus affatur:
En, adspice, o rex! quid valeant castimoniae ultro a
13. me cumulatae. Ille ego te cum ipso corpore in coelum
perducam mea potestate. Vade age, populorum domine;
14. ad coelum haud facile cum corpore adeundum. Quale-
cunque sane praemium mihi debetur castimoniis quaesi-
tum. Harum igitur virtute tu, o rex, cum corpore ad
15. coelum perge! Vix dum vates loqui desierat, iamque in
aethera evehebatur hominum princeps, spectantibus ana-
16. choretis. At Indras, frugum maturator, quum Trisan-

Digitized by Google

cum in aethera sublatum cerneret, una cum Superûm
catervis eum his verbis increpuit: Trisancus, abi ocius! 17.
Non tu idoneus es, qui sedes coelestes incolas, magistri
tui diris perculsus; demens! praeceps in terram decide.
Ita increpitus ab Indra Trisancus, retro delapsus, hac 18.
voce: Fer opem! sanctum Visvâmitram inclamavit. Cuius 19.
voce clamantis audita Cusicides, in iram vehementem
crumpens, contra; »Siste te! siste!« vociferatur. Proti- 20.
nus vi mirabili divinae scientiae religionisque, quasi alter
rerum progenitor, creavit in parte australi alteros Septem
Sapientes. Ad plagam australem conversus coram ana- 21.
choretis inclytus ille, ira aestuans, alteram siderum coro-
nam creare coepit. Alium Indram, inquit, creabo, vel 22.
mundus Indra suo fiat orbus. Quin, alia quoque numina
prae ira creare moliebatur. Tunc vehementer turbati 23.
Dii Titanesque cum Sapientum coetu Visvâmitram ma-
gnanimum blanda oratione obtestari: Rex iste, vir am- 24.
plissime, magistri diris ictus, non meretur cum ipso
corpore in coelum transire, nisi antea lustretur. Deo- 25.
rum sermone audito, vatum princeps Causicus gravissi-
mam sententiam contra protulit: Ego vero huic regi Tri- 26.
sancui, vestra pace loquar, adscensum cum ipso corpore
promisi, nec fidem fallere sustineo. Esto igitur huic 27.
Trisancui corporeo aeterna in coelo sedes et sunto im-
mota cuncta sidera mea. Quamdiu orbes aetherii per- 28.
durabunt, haecce a me creata utique firma manento: id
mihi, o Superi, concedere vos oportet. Tali modo com- 29
pellati Divi omnes vatum principi responsum dedere: Ita
fiat in honorem tuum! Permanento utique in orbe aethe- 30.
rio, extra Solis tramitem, plurima haec sidera, optime
vates! et inter hasce stellas coruscans praeceps in caput 31.
Trisancus permaneto immortalium similis; eaedemque

Digitized by Google

32. stellae comitabuntur regem praestantissimum [1]). Visvâmitras vero pietate et gravitate insignis, ab omnibus diis laudatus, coram anachoretis assensum suum declaravit.
33. Tum Dii magnanimi, sanctique Sapientes, simul omnes abierunt, sicuti venerant, post sacrificium peractum.

CAPUT LXI.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

11. SUNASSEPHI MANCIPATIO.

1. Inclytus Visvâmitras, quum Sapientes istos profectos esse videret, cunctos qui secum silvam incolebant,
2. ita affatur: Instat, en! ingens impedimentum, quod plagam australem invasit [1]). Pergemus ad aliam plagam,

---

1) Quodnam sidus hemisphaerii inferioris sub effigie Trisancûs, capite deorsum inclinante suspensi, designetur, discemus fortasse ex astronomicis Indorum scriptis. His verbis: *extra solis tramitem*, poëta tum Trisancum, tum cetera sidera eum comitantia, ultra Capricorni circulum diserte removet. Ansam praebere potuit huic figmento, viri sancti cuiusdam vi mirabili creatas esse stellas polo australi propiores, quod eae sero demum Indis innotuerant, quippe quorum priscae sedes circa Gangem in zona temperata fuere, unde paullatim versus meridiem progressi peninsulam Indicam coloniis deductis frequentarunt. Simili modo Agastius, qui primus feris harum regionum incolis sacra Brachmanica attulisse traditur, tanquam stella Canopi in coelum relatus est.

1) Ad res modo narratas trahi hoc nequit: etenim sacrificio

Digitized by Google

ibique castimonias observabimus. In terra Visâla versus 3.
occidentem sita ad Pushcarorum [2]) silvam secedentes,
commode religionibus fungemur: id enim eximium est
castimoniae nemus. His dictis magnus anachoreta, ad 4.
Pushcaros profectus, severissima abstinentia sese castiga-
vit, radicibus pomisque silvestribus vitam sustentans. Eo- 5.
dem autem tempore potentissimus Ayôdhyae rex, cui
Ambarîsho nomen erat [3]), sacrum celebrare molitus est.

---

in Trisancûs gratiam consummato victor discesserat Visvâmitras. Nec tamen ullum aliud impedimentum memoratur. At animus irrequietus eum in eadem sede non diu morari sinebat. Ingeniose omnino et callide adumbrata est Visvâmitrae indoles. Ille, qualis olim fuerat rex bellicosissimus, certaminum gloriaeque cupidus, audax, acer, iniquus interdum, saepiusque magnanimus: talem etiamnum in anachoretae et ascetae conditione ubique se prodit.

2) *Visâla*, amplus; *pushcara*, lotus; sunt vocabula in nominibus propriis frequentata. Vidimus urbem Visâlam inter Gangem et Mithilam: cf. annot. ad cap. L, 22. *Ujjayinî* quoque, urbs celebratissima, eodem nomine insignitur. MEGHA-DUTA, dist. 32. Sed haec Visala est regio Indiae occidentalis, et in ea lacus Pushcarus, (cf. infra LXII, 1.) prope urbem hodiernam *Ajmere*, nomine a tot inde seculis servato. Cf. WILSON. LEX. s. v. Quin et situm eius amoenissimum pictura aeri incisa ante oculos nobis posuit V. CL. JAC. TOD in opere egregio *Annals and antiquities of Râjasthan*, Vol. 1, ad pag. 774. Suscipiuntur etiamnum peregrinationes ad hunc lacum religionis caussa, quam sanctitatis famam sine dubio Visvâmitrae commorationi debet.

3) *Ambarîshus* vigesimus nonus est ab Ixvâcû (C. LXX, 40); separatur itaque eius regnum immenso temporis intervallo a Trisancûs fatis, in quibus Visvâmitras partes primarias egerat. *Richîcus* vero, qui Ambarîsho re-

Digitized by Google

6. Is dum sacris operabatur, Indras victimam surripuit. Amissa vero victima sacrorum antistes regem talibus admonuit: Sur-
7. repta hinc est victima, o rex! deperdita tuo neglectu. Regem, nisi sit strenuus suorum vindex, domine, delicta sua
8. pessumdant. Gravissimum sane hoc est piaculum: *aut victimam ipsam* aut hominem victimae vice cito adduc, ita ut
9. opus sacrum perfici possit. Magistri religionum sermone intellecto Ixvacuides splendidissimus, magni consilii vir,
10. quaesivit victimam multis vaccarum millibus emendam. Regiones terrasque quoquoversus sitas, urbesque, silvasque,
11. et sanctos secessus pervestigans rex iste, care adolescens, conspicatus est Richîcum, cum filiis suis atque uxore in
12. Bhrigûs clivo sedentem. Quem inclytus Ambarîshus quum honorifice salutasset, sapientem Brachmanam, sanctimonia lucentem, rex sapiens hunc in modum affatus
13. est: Si tu centies mille vaccarum pretio vendere velles aliquem e filiis victimae vice, nobilis Bhriguide, tunc
14. ego plane curis exsolutus forem. Cunctas terras peragravi, nec tamen nanciscor victimam sacrificio idoneam; aequum est, te mihi unum ex hisce filium pretio per-
15. mutare. Ita compellatus illustris Richîcus talia respondet: Natu maximum, o princeps, equidem nullo modo
16. vendiderim. Richîci sententia audita mater magnanimorum istorum heroëm Ambarîshum hunc in modum affa-
17. tur: Filium natu maximum venerandus Bhriguides non venalem declaravit; mihi quoque, domine, scias carum

ghante filios puerili aetate habuisse fingitur (infra dist. 11 seqq.), ipse Bhrigûs filius, antiquissimis vatibus annumerandus, Visvâmitrae sororem natu maiorem duxerat uxorem. (Cf. CAP. XXXV, 7. 8.). Sed non amplius erit monendum, perpetuum esse in mythologia Indica anachronismum, et cuncta quasi in orbem circumagi.

Digitized by Google

esse minimum natu catellum. Plerumque nimirum acci- 18.
dit, ut patribus natu maximi sint in deliciis, matribus
minimi: quapropter hunc ego tueor. Vix loqui desie- 19.
rant vates eiusque coniux, quum Sunassêphus, medius
inter utrumque fratrem, ultro hunc sermonem protulit:
Pater natu maximum non venalem declaravit, mater vero 20.
minimum; medium iam veniisse arbitror. Abducas me,
regum proles! Itaque centies mille vaccarum pretio man- 21.
cipatum Sunassêphum quum accepisset, rex summopere
laetatus indo profectus est. Puero festinanter in currum 22.
imposito, deinde domum contendit, ut sacrificium suum
consummandum curaret.

CAPUT LXII.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

12. AMBARISHI SACRIFICIUM.

Rex ille, o Raghuide, Sunassêphum secum avehens, 1.
iumentis fatigatis circa meridiem requievit prope lacum
Pushcarum. Dum is quietem capiebat, praeclarus Su- 2.
nassêphus accessit ad lacum laudatissimum, ibique con-
spexit Visvâmitram, avunculum suum, cum anachoretis 3.
religiones colentem. Vehementer afflictus puer, vultu
moesto, siti ac languore confectus, in vatis sinum se 4.
coniecit, eumque his verbis imploravit: Nec pater mihi
est, nec mater, nedum cognati gentilesve; te decet, 5.
placide vates, ex periculo me eripere secundum aequi-

Digitized by Google

tatem tuam. Tu sane, nobilissime, es auxiliator, tu
6. cunctorum praesidium. Fac ut regi satisfiat, tum ut ego
vivam et post longum aevum sede coelesti fruar, quum
7. sanctis castimoniis me lustravero. Tu mihi inopi, orbo,
patronus esto mente provida. Sicuti pater filium tuetur,
8. sic te decet a piaculo me vindicare. Cuius oratione audita
Visvâmitras sanctissimus, multimodis puerum consolatus,
9. filiis suis haec profatur: Quam ob caussam patres fausta
sibi optantes generant filios, ut saluti post hanc vitam
10. prospiciant: huius rei tempus iam adest. Hicce anacho-
retae natus, tenerae aetatis puer, auxilium a me petit.
Ut saltem vita huic sit salva, gratum aliquid mihi facite,
11. filioli. Vos omnes piis operibus functi estis, omnes recti
studiosi; victimae vicem apud regem subeuntes, ignis
12. sacri famem explete. Tum Sunassêphus vindice me sit
tutus, tum sacrificium sine impedimento procedat: nu-
mina quoque placantor, imperatum meum denique fiat.
13. Audita vatis sententia, Madhusyandus ceterique filii re-
14. sponsum superbum cum derisu reddidere: Quomodo
propriis filiis desertis, domine, prolem alienam servare
studes? Ineptum plane hoc iudicamus, quasi quis pro-
15. pria carne vescatur. Audito filiorum sermone vates egre-
gius, oculos prae ira rubore suffusus, talia profari coe-
16. pit: Insolens est hoc dictum, impietatis damnandum, mei
17. imperati contemptu atrox, horrificum. Vos omnes, aeque
ac Vasishthidae, per integros mille annos, quoties renas-
cemini, carne canina vescentes in orbe terrarum habi-
18. tabitis. Postquam filiis diras obnuntiaverat vates egre-
gius, Sunassêphum afflictum alloquitur, parato ei praesi-
19. dio salutari. Quando tu, inquit, lustralibus vinculis alli-
gatus, punicea corolla condecoratus, ad Vishnûs colum-
nam sacrificalem steteris, tunc verbis solennibus Ignem

Digitized by Google

invoca, atque haec duo carmina divina cantando recita, 20.
anachoretae fili, in sacrificio isto Ambarîshi; quo facto
liberationem impetrabis. Sunassêphus, quum attento 21.
animo bina haec carmina edidicisset, festinanter regem
fortissimum Ambarîshum his verbis adiit: Rex fortissime, 22.
vir animi excelsi, sine mora hinc proficiscamur! Fac ut
domum redeas, praeviasque caeremonias inchoandas cura.
Audito sermone pueri ab anachoreta geniti, rex gaudio 23.
elatus sine mora indefessus ad aream sacrificalem perre-
xit. Ibi ex collegii sacerdotum sententia rex victimam, 24.
certis notis puram recognitam, puniceo amictu velatam
ad columnam alligandam curavit. At anachoretae filio- 25.
lus, ut erat vinctus, vocibus coram igne sacro recitandis
gemina numina rite adoravit, Indram eiusque fratrem
natu minorem *Vishnum*. Mystica laudatione placatus 26.
deus mille oculis praeditus, Vasuum dux, benigne lon-
gum aevum Sunassêpho concessit. Rex vero ipse multi- 27.
plicem huius sacrificii fructum adeptus est, propitio In-
drae numine partum. Pius Visvâmitras autem severas 28.
castimonias porro exercuit per mille annos in Pushcaro-
rum terra, in voto suo perseverans.

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

13. MENACAE TERRESTRIS HABITATIO.

1. At mille annis expletis magnum vatem, voto exso-
luto lustratum, adierunt omnes Superi, praemium reli-
2. gionum ei tribuere cupientes. Tunc altera vice BRACH-
MAN, blandissimis verbis cum affatus, Tu es sapiens, ait;
3. salve! quod meruisti sanctis operibus ultro susceptis. His
dictis deorum dominus in sedem aetheriam rediit. Vis-
vâmitras tamen audito hoc oraculo, austeras castimonias
4. porro exercuit. Deinde, post longum temporis interval-
lum, Mênaca, nympha praestantissima e saltatricum coe-
lestium choris, ad lacum Pushcarorum accessit, ut in eo
5. lavaretur. Hanc vidit inclytus Cusici filius, forma in-
comparabilem, quasi fulgurationem ex nube elucentem.
6. Quam Mênacam toto corpore pulcerrimam in silva soli-
taria conspicatus vates, Cupidinis imperio parens, adiit
7. ac talia protulit: Nympha! faustum adventum tibi pre-
cor. Habita mecum in hoc secessu. Fave, obsecro,
8. mihi Cupidinis illecebris contacto. Ita salutata nympha,
tereti latere decora, ibi sedem sibi delegit, quo facto
ingens castimoniarum impedimentum Visvâmitrae super-
9. venit. Dum illa habitabat in amoeno anachoretae secessu,
10. anni bis quinque iucunde elapsi sunt. At post huius
temporis decursum magnus vates Visvâmitras, pudore
quodammodo affectus ad recordationem moestitiamque se
11. convertit. Subnata est ei suspicio cum indignatione com-
mixta, deos in commune molitos esse, ut a religionibus

Digitized by Google

efficacissime se abstraherent. Elapsi sunt, *ita secum* 12.
reputabat, decem anni, diebus noctibusque fallentibus;
Cupidinis illecebris devicto mihi hoc impedimentum est
obiectum. Vates egregius, ingemens, poenitentia afflictus, 13.
quum Mênacam cerneret timidam, trementem, manibus
suppliciter protensis adstantem: nympham quidem blando 14.
alloquio dimisit Cusici filius, ipse autem ad montes
septentrionales se contulit. Firmissimo consilio capto 15.
inclytus ille, vincendi cupidus, quam primum Causicidis,
sororis suae, ripam attigerat [1]), castimoniis vix toleran-
dis seso castigavit. Quo per plura annorum millia in 16.
montis septentrionalis iugo horrendos cruciatus sustinente,
deos timor incessit. Superi omnes, cum Sapientum cá- 17.
terva congregati, habito consilio dixere: Magni Sapientis
titulum, ut par est, impetrato hicce Cusici filius. Audita 18.
deorum sententia, magnus mundi universi Parens, Vis-
vâmitram sanctimonia divitem blandis verbis affatur: Magne 19.

---

1) Haec est eadem, cuius laudes ipse Visvâmitras praedicaverat, CAP. XXXV, 7—11, et quam poëta superstitem adhuc in scenam producit CAP. LXI, 16—18. Nomen eius proprium erat *Satyavatis*; patronymicum, *Causicis*, adhaesit amni, in quem mutata dicebatur, et agnoscitur etiamnum in formis corruptis *Cusa* et *Cusi*. Decurrit hic amnis ex Himavantis iugis versus Gangem, terram Vidêhorum a parte orientali terminans. Nomen sine dubio latet in Plinii *Cosoago*, et Arriani *Κοσσοάνῳ*. Sed utrumque auctorem in hac fluviorum enumeratione (*Condochatem*, *Erannoboam*, *Cosoagum*, *Sonum*) idem error insedit. Erannoboas (*Hiranyavâha*) et Sonus non sunt diversi, sed notissima eiusdem fluvii nomina. Deinde ordo, quo a dextera laevaque in Gangem sese effundunt, turbatus est. Scribendum igitur foret, ut ratio geographica constaret: „Erannoboam sive Sonum, Condochatem (*Gandakî*), Cosoagum."

Digitized by Google

Sapiens, salvum te iubeo, dilecte! Propitiatus equidem
castimoniis tuis austeris, maiestatem et eminentiam inter
20. Sapientes tibi largior, Cusicide! Audito BRACHMANIS dicto,
Visvâmitras sanctimonia dives, neque deiectus, nec con-
21. tentus, Magno Parenti respondit; Quando tu, Alme, de-
claraveris, Brachmanae sapientis titulum incomparabilem
mihi pro sanctis operibus ultro susceptis deberi, tunc
22. ego sensuum impetum me plane devicisse putabo. Cui
contra BRACHMAN, Tu nondum, inquit, sensuum impe-
tum devicisti. Amplius annitere, vates egregie! Ita lo-
23. cutus, ad coelum rediit. Visvâmitras vero ibidem atro-
ciore cruciatu sese castigavit. Brachiis in altum porre-
24. ctis, sine fulcimine, uni pedi innixus, mero aëre ves-
cens, in eadem statione permanens, immotus quasi sti-
pes; per calorem aestivum quinque ignibus torridus,
25. pluvia anni tempestate sub dio agens, per frigora in aqua
cubans, sic iste sui castigator noctu diuque per mille
26. annos horrendum cruciatum tolerabat. At magno vate
Visvâmitra semet ipsum angente, ingens angor incessit
27. Superos ipsumque Vâsavum. Tunc vehementer turbatus
Superûm princeps Indras excogitavit callidum consilium,
28. quo votum viri impediretur. Ventorum cohorte cinctus
coeli dominus nymphae Rambhae ad se vocatae mandatum
declaravit, sibi salutare, Cusicidae vero damnosum.

Digitized by Google

CAPUT LXIV.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

14. RAMBHAE EXSECRATIO.

»A te, Rambha, curandum est gravissimum hocce 1.
deorum negotium, ut Cusicidem protinus sollicites, libi-
dinis illecebris delinitum.« Ita admonita a prudenti deo 2.
mille oculis praedito nympha ista, pudibunda, manus
suppliciter protendens, talia contra refert: Truculentus 3.
est, Superûm domine, magnus ille vates Visvâmitras.
Iram immanem, ne dubites, in me effundet. Inde pavor 4.
mihi iniectus est, Dive: te propitium mihi parcere ae-
quum est. Hunc in modum a puella pavida anxie im-
ploratus Indras trementem supplicemque consolans, Noli 5.
timere, Rambha! ait; perfice, amabo, mandatum meum.
Sub luscinii imagine, corda delinientis, dum ineunte 6.
vere arbores florescunt, egomet cum Cupidine consocia-
tus tibi a latere adstabo. Tu ergo, Rambha, formae 7.
nitidissimae venustate munditiis multiplicata, ascetam
illum Cusicidem a castimoniis abstrahe. Dei oratione 8.
audita, nympha speciem formosissimam exhibens, lasciva,
dulce ridens, Visvâmitram sollicitavit. Is vero lusciniium 9.
dulcissima voce garrientem exhilarato animo auscultabat,
atque illam ab obliquo prospiciebat. Interim tum lu- 10.
scinii voce cantuque incomparabili, tum Rambhae adspe-
ctu anachoretae suspicio incidit. Cognito, Indram haec 11.
omnia molitum esse, vates egregius, ira commotus, di-
ris nympham devovit: Quoniam tu, Rambha, lenocinio 12.
me tentas, libidinem iramque vincere studentem, per

Digitized by Google

13. decem annorum millia saxea stabis, improba! Vir gravissimus e Brachmanum ordine, sanctimonia vim mirabilem adeptus, te, Rambha, ira mea deformatam inde
14. extrahet. Quae quum dixisset magnus vates, inclytus Visvâmitras, in poenitentiam transiit, quod iracundiam
15. cohibere non potis fuisset. Gravi eius imprecatione Rambha protinus saxea reddita est; Cupido vero, ut Sapien-
16. tis verba audierat, et ipse aufugit. Castimoniarum fructu per iracundiam sibi erepto, vir excelsus, quia sensus nondum domuerat, nullam inveniebat animi tranquillita-
17. tem. Denuo secum volvebat, *quomodo iam altera vice*
18. *in insidias ab Indra sibi structas incidisset.* Haud sane irae me tradam, neque ullum verbum, quicquid sit, proferam: quin imo ne respirabo quidem, vel per
19. centenos annos. Ego sensibus perdomitis memet ipsum tamdiu torrebo, donec Brachmanae conditionem casti-
20. moniis meritam adeptus fuero. Nec respirans, neque ullo cibo vescens, stabo annos innumeros; non fatiscet corporis mei compages, dum ita excrucior.

CAPUT LXV.

EPISODIUM DE VISVAMITRA.

15. VISVAMITRAS IN BRACHMANUM ORDINEM RECEPTUS.

1. Deseruit deinde plagam Himavanti adiacentem magnus vates, et quum ad plagam orientalem se contulis-
2. set, horrendo cruciatu sese castigavit. Obstrinxit se

Digitized by Google

voto severissimo silentii per mille annos continuandi, et
exercuit castimonias factu difficillimas, per orbem terra-
rum incomparabiles. Per integros mille annos ascetam 3.
plane in stipitem conversum, etsi multis impedimentis
lacessebatur, non tamen intus ira subiit: sed obfirmato 4.
animo applicuit se ad abstinentiam nunquam deminutam.
Voto autem post mille annos soluto, Raghuide, vir con- 5.
stantissimus cibum, quem caperet, sibi paraverat; eo-
demque tempore Indras sub specie Brachmanae cibum
iam coctum ab eo petiit. Huic, *ut videbatur*, viro 6.
summi ordinis certus consilii totam coenam dedit; nul-
loque cibo relicto, quum ipse impransus mansisset vir
sanctus, ne verbo quidem mendicum istum compellavit, 7.
sed in silendi voto perstitit: porro quoque silentium spi-
ritusque compressionem servavit. Is dum spiritum com- 8.
primebat, ex eius capite fumus erigebatur, quo viso
tergeminus mundus conturbatus et quasi inflammatus fuit.
Tunc Divi, Sapientes, Angues, Serpentes Gigantesque, 9.
cuncti animis fracti, magnum Parentem affari: Multis 10.
conatibus, Alme, magnus vates Visvâmitras ad libidinem
iramque lacessitus, maius subinde sanctimoniae incre-
mentum capit. Quod si non datur ei optatum, quod 11.
mente concepit, pessum dabit tergeminum mundum, ani-
mantia pariter atque inanima. Cunctae coeli plagae sunt 12.
obscuratae, nec quicquam clare elucet; aestuant omnia
maria, et montes dilabuntur; contremitque tellus, et ven- 13.
tus flat undique procellosus. Nullum casum, o BRACH-
MAN, praestare possumus: nascetur fortasse genus ho-
minum atheum. Attonitus quasi est mundus tergeminus, 14.
animo plane perturbatus, ipsumque Solis exstinctum iu-
bar prae Sapientis maiestate. Donec consilium nondum 15.
cepit magnus vates in perniciem nostram, Dive, protinus

Digitized by Google

placandus est venerandus ille, igniformis, splendidissi-
16. mus. Sicuti olim tergeminus mundus fati igne totus
comburitur, sic ille imperium in deos forte affectaverit:
17. detur ei, quicquid mente concepit. Deinde cunctae Su-
perûm catervae, Magnum Parentem ducem secuti, ma-
18. gnanimum Visvâmitram blandis verbis affari: Sapiens
Brachmana, salvere te iubemus! Propitiati sumus casti-
moniis tuis. Brachmanae conditionem nactus es, Cusi-
19. cide, acerrima abstinentia. Diuturnum aevum quoque,
Brachmana, tibi largior ego, cum Ventorum cohorte
consociatus. Vale, et quod felix faustumque tibi sit,
20. amice, abi quo tibi placet. Audito magni Parentis ser-
mone egregius vates, omnes Coelicolas adorans, laetus
21. talia profatur: Si Brachmanae conditionem impetravi,
pariterque aevum diuturnum, tunc nomen summi numi-
nis ineffabile, et solemnis precatio, ipsique libri sacri
22. me agnoscant. Vasishthas, BRACHMANIS filius, tum bel-
licae artis, tum inter rerum divinarum peritos praestan-
23. tissimus, o Divi, ita me alloquatur. Deinde conciliatus
a Superis sapiens Brachmana Vasishthas, in tacita pre-
catione assiduus, amicitiam cum eo iunxit et, Ratum esto!
24. inquit; sine dubio omnia sapientis Brachmanae iura tibi
competunt. Quae simul atque is dixerat, Divi omnes
25. abiere sicuti venerant. Pius Visvâmitras vero, summam
Brachmanae dignitatem nactus, honorifice excepit sapien-
26. tem Vasishtham, tacitae precationis peritissimum. Optati
sui compos deinde orbem universum peragravit, semper
in abstinentia permanens. Tali modo a magnanimo illo
27. Brachmanae conditio impetrata est. Hic idem, o Râma,
est summus vates, hic corporea sanctimoniae species, hic
semper religionibus intentus, ipsumque virtutis heroïcae
studium.

Digitized by Google

Talibus memoratis conticuit praeclarus Brachmana 28.
Satânandus, quem Cusicides, Euge! euge! exclamans
collaudavit. Audita eiusdem oratione coram Râma et 29.
Laxmano habita, Janacus manibus iunctis Cusici filium
hisce affatur: Sum fortunatus, sum opibus auctus, cuius 30.
tu, piissime vates, comitantibus Cacutsthidis, ad sacri-
ficium visendum advenisti. Lustratus ego sum a te, 31.
Brachmana, ipso conspectu, variaeque dotes hac tua
praesentia mihi sunt impertitae. Auscultavi egomet cum 32.
Râma magnanimo, vir excelse, ingens sanctimoniae opus
fuse enarratum. Infinita tibi inest abstinentia, infinitum 33.
robur; infinitaeque tibi semper insunt virtutes, Cusici
proles. Nulla me capit satietas narrationum mirabilium: 34.
at nunc tempus instat religionum vespertinarum, vates
optime; ad occasum inclinat solis orbis. Cras, quam 35.
primum illuxerit, denuo me videbis. Interim bene habe,
vir abstinentissime! ac veniam abeundi dare mihi velis.
Ita admonitus anachoreta, principem praeclarum Janacum 36.
collaudavit, statimque laetum ipse laetitia affectus dimisit.
Post hosce sermones Videhanus Mithilensium rex cum 37.
magistris suis cognatisque vatem versus dexteram cir-
cumambulavit. Tum sanctus Visvâmitras, Râma et Lax- 38.
mano comitibus, stationem suam intravit, ab adolescen-
tibus magnanimis salutatus.

Digitized by Google

CAPUT LXVI.

JANACI SERMO.

1. Postero mane, ut clare illuxerat, rex, functus cae-
remoniis matutinis, Visvâmitram cum Raghuidis arcessere
2. iussit. Illo ipso et magnanimis fratribus secundum prae-
cepta sacra honorifice exceptis, hunc deinde sermonem
3. orsus est: Faustum adventum tibi precor, vir venerande!
quidnam gratum tibi facere possum? Iube, quid velis:
4. meum est, tantorum virorum iussa exsequi. Ita compel-
latus a magnanimo Janaco pius anachoreta, fandi peri-
5. tus, talia contra fatur: Ambo hi Dasarathae filii, ex no-
bili bellatorum prosapia, per orbem terrarum celebrati,
cupiunt visere arcum istum praestantissimum, qui domi
6. apud te asservatur. Eum ipsum, quaeso, visendum ex-
hibe: regii adolescentes, optato potiti, post conspectum
huius arcus, prout ipsis libuerit, domum revertentur.
7. Janacus vero ita rogatus magno vati respondet: Audiatur
huius arcus memoria, et qua de caussa apud nos asser-
8. vetur. Fuit rex, Dêvarâtus nomine dictus, sextus a Ni-
me; huic magnanimo hocce pignus per manus traditum
9. fuit. Olim fortissimus Rudrus, quum in Daxi sacrificio
arcum ad caedem convivarum intendisset, profligatis Coe-
10. litibus, cum irrisu talia protulit: Quoniam vos, Superi,
mihi, sacrarum epularum portionem petenti, nullam tri-
buistis, membra vestra vitalia, partes corporis pretiosis-
11. simas, arcu discerpam. Tunc sane omnes Divi afflicti
principem suum placare studebant, quorum precibus ille
12. motus est, Superisque dignitate pollentibus restituit mem-

Digitized by Google

bra, quotquot arcus ope discerpta fuerant. Ille idem 13.
arcus praestantissimus magnanimi divûm Divi postea atavo
nostro pignoris vice in manum est traditus. At aliquan- 14.
do, dum ego agrum arabam, vomere excitatur et a me
terram repastinante excipitur puella, cui a sulco *Sîta*
nomen factum est. Quae quidem filia mea, non ex utero 15.
nata sed e tellure edita, quum adolesceret, hanc ei sta-
tui conditionem, ut virgo fortitudinis praemium esset.
At complures reges me convenere, ut filiam meam pu- 16.
bescentem e tellure editam nuptum peterent. Cunctis 17.
hisce terrarum dominis puellam petentibus equidem filiam
tradere nolui, vir venerande, declarans eam virtutis prae-
mium fore. Hi reges deinde communi consilio urbem 18.
Mithilam adiere, virtutem suam experiundi cupidi. Peri- 19
culum facturis Sivae arcus oblatus est: quem illi, ne ar-
ripere quidem, nedum manibus librare potis erant. Quo- 20.
rum virorum fortium quum exiguam esse virtutem co-
gnovissem, repulsam a me tulere. Attende animum,
quaeso, sanctissime vates! Irati igitur ob hanc offensam 21.
reges magnis copiis instructi, quorum virtus in suspicio-
nem adducta fuerat, Mithilam iunctis viribus obsederunt.
Semet ipsos spretos reputantes hi principes, ideoque 22.
mihi infensissimi, urbem undique premebant. Post an- 23.
num exactum cibaria mea et reliqua subsidia omnino
absumpta erant, quo facto ego vehementer turbatus fui.
Tunc deos universos castis religionibus placavi, qui pro- 24.
pitii mihi praebuere exercitum quaternis copiis (*elephan-
torum, curruum, equitum, peditumque*) instructum.
Huius ope fracti principes cum comitibus et profligati 25.
versus cunctas coeli plagas aufugerunt: ignavi, in conatu
nefario fama virtutis destituti. Illum ipsum arcum ful- 26.
gentissimum, vatum princeps, tibi ac Râmae Laxmanoque

Digitized by Google

27. visendum exhibebo. Quod si Râmas huic arcui tendendo suffecerit, filiam meam Sîtam, non ex utero natam, equidem Dasarathidae nuptum dabo.

CAPUT LXVII.

ARCUS DIFFRACTUS.

1. Janaci oratione audita magnus vates Visvâmitras,
2. Age! inquit, arcum Râmae visendum exhibe. Tum rex iste familiaribus suis imperavit: Advehatur arcus divinus,
3. sertis odoratis condecoratus. A Janaco admoniti familiares urbem intravere, et arcu in fronte agminis collocato
4. inde egressi sunt, sicuti rex iusserat. Quinquaginta centuriae iuvenum, alta statura et robore insignium, arcam octonis rotis suffultam provehebant non sine magno mo-
5. limine. Tum advecta arca ferrea, in qua arcus asservabatur, ministri regii ad Janacum Superis comparabilem
6. conversi, Ecce, aiunt, Mithilensium domine, arcum praestantissimum ab omnibus regibus honoratum, ad vi-
7. sendum propositum, si tibi placet. Quorum voce audita rex iunctis manibus affatur Visvâmitram magnanimum et
8. fratres ambo, Râmam Laxmanumque: Hicce est arcus praestantissimus, Brachmana, reverenter a Janacidis cultus, quem reges virtute gloriantes tendere tunc temporis
9. haud potis fuere; nec magis forent cunctae Deorum catervae, aut Titanes Gigantesve, Fidicinum Geniorumque
10. principes, aut Hippocephali magnique Serpentes. Quanto minus sufficiunt hominum vires huic arcui tendendo,

Digitized by Google

erigendo, tractando, vel denique concutiendo et librando? Ille idem arcus incomparabilis advectus est, vatum 11.
princeps: visendum exhibe hisce regiis adolescentibus.
Sanctus Visvâmitras, audita Janaci oratione, ad Raghui- 12.
dem conversus, Mi filiole Râma, inquit, inspice arcum.
Magni vatis monitu Râmas operculum arcae, in qua in- 13.
clusus erat arcus, retegit, conspectoque arcu profatur:
Manu mea contingo arcum huncce excellentem, divinum, 14.
et conando experiar, utrum librare vel etiam tendere
possim. Euge! acclamavit ei rex, anachoreta vocem 15.
comprobante. Tunc ille vatis monitu arcum levi opera
medium prehendit, deinde multis hominum millibus spe- 16.
ctantibus pius Raghuides eundem quasi ludens erexit.
Quo erecto inclytus heros fortissimus nervum ita inten- 17.
dit, ut arcum in medio confringeret. Inde ingens clan- 18.
gor exstitit, procellae instar insonans, ac vehementer
contremuit tellus, veluti monte disrupto, omnesque qui 19.
aderant homines corruere, clangore isto attoniti, vate,
rege et ambobus Raghuidis exceptis. Quum multitudo 20.
ista animum recuperasset, rex e terrore recreatus, ser-
monum gnarus, venerabundi habitu vatum principem
talibus alloquitur: Vir venerande, Râmas Dasarathides 21.
virtutem suam mihi spectandam exhibuit; est hoc mira-
bile, vix credibile, quale ne coniectando quidem asse-
qui poteram. Filia mea Sîta Janacorum stirpi gloriam 22.
comparabit, coniugem nacta Râmam Dasarathidem; tum
exsolvetur fides a me data, Cusicide, eam virtutis prae- 23.
mium fore. Filia mea Sîta, vita ipsa mihi carior, Râ-
mae nuptum danda est. Si tibi ita placet, Brachmana 24.
venerande, quem salvere iubeo; ministri mei statim fe-
stinantes curribus ad Ayôdhyam proficiscantur, regem- 25.
que verbis modestis ad urbem meam invitent, et accu-

Digitized by Google

rato ei totam rem exponant de puella tanquam virtutis
26. praemio nuptum danda; nuncient quoque regi, ambo
Cacutsthidas te custode, vir sancte, incolumes esse. Quod
27. si regi hoc gratum sit, cito eum adducant. Cusicides
vero quum assensum suum significasset, pius rex mini-
stros admonitos cum mandatis ad Ayôdhyam dimisit.

CAPUT LXVIII.

LEGATORUM JANACI ORATIO.

1. Iussi a Janaco legati, fatigatis iumentis, postquam
ter in itinere pernoctaverant, urbem Ayôdhyam intravere.
2. Ibi regis iussu ad domum regiam arcessiti conspexere
grandaevum Dasaratham, dignitate diis aequiparabilem.
3. Tum legati cuncti manibus suppliciter protensis, timore
seposito, coram rege sermonem hunc modestum suavi
4. voce protulere: Janacus rex Videhanus ex te, domine,
sibi amicissimo, quaerit, ecquid commode valeas cum
5. ministris religionumque antistite? Deinde certiores nos
factos de integra tua conditione Mithilae princeps Vi-
dehanus, Cusicide assentiente, suis verbis haec profari
6. iussit: »Fides olim publice data fuit, filiam meam virtu-
tis praemium fore; regesque indignabundi, quod virtute
7. destituti fuerant, deiecto vultu abierunt. Illa eadem
filia mea fortibus filiis tuis, qui Visvâmitra duce ultro
8. me convenerant, certaminis lege debetur. Etenim in-
signe istud pignus, arcus divinus a Râma magnanimo in
medio diffractus est, o heros, coram frequentissimo

Digitized by Google

hominum coetu. Huic magnanimo danda est Sîta mea 9.
tanquam virtutis praemium. Equidem fidem meam ex-
solvere cupio, quod comprobare te decet. Sine mora 10.
ergo, magne rex, quod faustum tibi sit, cum religio-
num magistris, antistite domestico comitante, huc ades,
ut Raghuidem revisas. Tuum est, in exsolvenda fide me 11.
adiuvare, quo facto gaudii a filiis tuis virtute quaesiti
particeps fies.« Talem orationem protulit Videhorum 12.
dominus, Visvâmitra comprobante, tum Satânandi sen-
tentiam secutus. — Audita legatorum sententia, rex ad 13.
summam laetitiam erectus, Vasishtham Vâmadevumque
ceterosque conciliorum socios talibus affari: Custoditus 14.
a Causici filio Râmas, quo mater Causalia laetior in dies
gloriatur, cum fratre Laxmano nunc apud Vidêhos ver-
satur. Edidit autem virtutis suae documentum Janaco 15.
magnanimo, ita ut is filiam Raghuidae nuptum dare cu-
piat. Quod si vobis placet negotium, cito adeamus Ja- 16.
naci magnanimi urbem; curandum est, ne tempus op-
portunum praetereat. Ministri et magni Sapientes uno 17.
ore, Euge, optime! ei acclamarunt. Tum rex admodum
laetus eos admonuit, se cras esse profecturum. Janaci 18.
legati vero, honorifice hospitio excepti, commode per-
noctarunt, omnibus lautitiis affluentes.

Digitized by Google

CAPUT LXIX.

COLLOQUIUM JANACI CUM DASARATHA.

1. Postero mane, quam primum nox discesserat, rex Dasarathas, religionum magistris cognatisque circumda-
2. tus, hilaris Sumantram haec monuit: Hodie cuncti gazae praefecti largis opibus inde sumptis in fronte agminis
3. incedant, varias res pretiosas secum portantes. Protinus quoque prodeat exercitus quadrifariam plenissime instructus; praesto etiam sunto ad nutum meum vehicula et
4. iumenta praestantissima. Vasishthas Vâmadêvusque, Jâvâles, deinde Casyapides Mârcandeiusque grandaevus,
5. denique sapiens Câtyâyanus [1]); hi viri bis nati in fronte incedant. Tu vero curru meo equos iunge, ne tempus opportunum praetereat: etenim legati ad festinandum me hor-
6. tantur. Principis iussu itaque exercitus quadrifariam instructus regem cum vatibus proficiscentem a tergo se-
7. quebatur. Post quatriduum in itinere peractum hi Vidêhorum fines intravere, quo nuntio allato rex Janacus
8. honorem hospiti habendum ordinavit. Deinde obviam procedens ut in conspectum senis Dasarathae venit, re-
9. gem laetitia commotum talibus affatur: Faustum adventum

---

1) Hi non sunt regis ministri, sed Brachmanae primarii in eius aula degentes. Cf. LIB. II, c. LXVII, 1—3. et annot. supra ad cap. VII, 4. Exstat carmen mythologicum, quod *Mârcandeii* nomen prae se fert. *Câtyâyanus* tertium locum occupat inter principes artis grammaticae, sed alia praeterea scripsisse putatur.

Digitized by Google

tibi precor, optime princeps! Optato huc advenisti, Raghuide: gaudii a filiis tuis virtute quaesiti particeps fies. Optato huc advenit augustus Vasishthas, vates ve- 10.
nerabilis, comites habens praestantissimos Brachmanas, sicuti Indras Superis stipatus. Optato devicta sunt a me 11.
impedimenta, et honorata gens nostra per affinitatem cum Raghuidis strenuis, virtute praecellentibus. Cras 12.
quam primum illuxerit, domine, tibi placeat, post sacrificium peractum [2]), conficere nuptias a vatibus comprobatas. Huius oratione in vatum coetu audita, rex 13.
inter facundos eminens hunc in modum terrae domino respondit: Acceptio a datoris voluntate pendet; ita olim 14.
edoctus sum. Quomodo tu, recti gnarus, praecipies, sic nos rem peragemus. Audita viri veridici sententia 15.
rectissima ipsique honorifica, Vidêhorum princeps ad summam admirationem conversus est. Deinde tota Sa- 16.
pientum cohors, propter mutuum congressum ingenti gaudio affecta, per noctem commode quiescere. At in- 17.
clytus Râmas cum Laxmano, Visvâmitra duce, patrem adiit eiusque pedes amplexus est. Tum rex, rebus ge- 18.
stis utriusque nati compertis, admodum laetus ad hono-

---

2) Satis accurate observata est temporis ratio, imo accuratius quam a poëta exspectari poterat. Declaraverat Janacus Visvâmitrae adventanti, sibi duodecim diebus opus fore ad sacra perficienda. Cap. L, 15. Eodem die narrantur Visvâmitrae res gestae. Postridie huius diei diffringitur arcus. Tertio die a Mithila proficiscuntur Janaci legati, qui tribus noctibus in itinere consumptis (cap. LXVIII, 1.) postero mane Ayôdhyam intrant. Postridie ipse Dasarathas iter ingressus quarto die, qui est undecimus a Visvâmitrae adventu, Janacum adit.

Digitized by Google

19. rificum Janaci hospitium devertit, pariterque inclytus Janacus recti gnarus, postquam solennia, quae sacrificio filiabusque opus essent, rite curaverat, noctem quieti dedit.

CAPUT LXX.

PUELLARUM PETITIO.

1. Postero mane Janacus post matutinas religiones vatum ope peractas, fandi doctus antistitem suum Satânan-
2. dum verbis hisce affatur: Frater meus natu minor, inclytus, piissimus, Cusadhvaji nomine dictus, urbem pul-
3. cram sibi adornavit, bibens amnem Ixumatim undis munimenta ambientem: urbem Sâncâsiam augusta specie
4. tensae Pushpacae similem. Hunc ego visere cupio: hic mihi custos sacrificii probatur; ille idem vir inclytus
5. felici hac sorte mecum fruetur. Vix ita loqui desierat in Satânandi praesentia, iamque aderant famuli nonnulli
6. prompti, quibus Janacus mandata exposuit. Hi equis velocibus vecti regis iussu profecti sunt ad arcessendum
7. heroëm, ceu Vishnum Indrae mandato. Qui quum urbem Sâncâsiam intrassent, in Cusadhvaji conspectum adducti, nunciavere ei quicquid evenerat, Janacique
8. consilium. Comperto ex nuntiis fidissimis promptissimisque negotio, rex Cusadhvajus secundum principis man-
9. data Mithilam se contulit. Ibi ille salutato Satânando Janacoque piissimo, conscendit solium divinum, quale
10. regem decet. Ambo hi fratres, viri amplissimi, ut con-

Digitized by Google

sederant, Sudâmanum, inter ministros summo loco habitum, dimiserunt his verbis: Vade age, ministrorum 11.
nostrorum praeses! Ixvacuidem augustum, invictum,
cum filiis ministrisque ad nos adduc. Is ad deversorium 12.
progressus, Raghuidarum stirpis amplificatorem simul
adspexit, capite demisso salutatum hisce affatur: Ayo- 13.
dhyae domine, heros! Vidêhanus Mithilae rex te cum
religionum magistris et antistite semet conventurum ex-
spectat. Audita ministrorum praesidis oratione, rex cum 14.
comitatu suo vatum ac cognatorum eo accessit, ubi Ja-
nacus versabatur. Deinde ministris, sacerdotibus cogna- 15.
tisque circumdatus fandi doctissimus ille Vidêhanum ta-
libus affari: Notum tibi est, magne rex, quodnam sit 16.
praesens Ixvâcuidis numen; omnium negotiorum orator
nobis est venerandus vates Vasishthas. Visvâmitrae cete- 17.
rorumque Sapientum venia impetrata, sanctus ille rite et
ex ordine pro nobis verba faciet. Dasarathas quum con- 18.
ticuisset, venerandus vates Vasishthas fandi doctus Vidê-
hanum eiusque antistitem hunc in modum affari: Ex 19.
insensili prodiit BRACHMAN aeternus, perennis, nunquam
defecturus; ab hoc genitus Marîches; Marîchis filius fuit 20.
Casyapus; Vivasvantes a Casyapo genitus, Manus Vivas-
vantis proles traditur. Manus exstitit olim generis hu-
mani sator, Manûsque filius Ixvâcus. Hunc Ixvâcum 21.
scias primum in urbe Ayôdhya regem fuisse. Ixvâcûs
autem faustus filius Cuxis nomine inclaruit. Cuxi porro 22.
faustus natus Vicuxes exstitit; a Vicuxe vero inclytus
Vânus procreatus est; tum a Vâno inclytus Anaranyas, 23.
maiestate insignis; ab Anaranya Prithus genitus, deinceps
Trisancus a Prithû. Trisancûs filius fuit Dhundhumârus 24.
fama celebratus; Dhundhumâri inclytus Yuvanâsvas curru
excelso vectus; nec non Yuvanâsvae natus fuit Mândhâter, 25.

Digitized by Google

terrae dominus; Mândhâtri vero faustus filius Susandhes
26. nascitur. Tum a Susandhe duo filii geniti, Dhruvasan-
dhes ac Prasênajites; a Dhruvasandhe vero filius illu-
27. stris, cui Bharatae nomen inditum. A Bharata porro
inclytus Asitus est procreatus, [*cui hostes exstitere reges
28. *aemuli complures: Haihayi, Tâlajanghique, fortesque Sa-
*sivindhues [1]), contra quos pugnans rex iste proelio in
29. *fugam actus est. Posthac Asitus opibus destitutus cum
*duabus uxoribus ad montem Himavantem accessit, ibique
30. *fati lege defunctus est. Traditur autem, ambas eius
*coniuges gravidas fuisse, quarum altera foetum alterius
31. *disperdendi gratia rivali suae venenum miscuit. Eodem
*tempore anachoreta quidam Bhriguides, Chyavanus no-
*mine, ad Himavantem secesserat, amoeno montis vertice
32. *mire delectatus. Hunc Bhriguidem divino lumine splen-
*dentem altera coniux venusta, loti folia oculis referens,
33. *venerata est, filium egregium parere cupiens. Ea igitur,
*Câlindis dicta [2]), vatem adiit ac supplex adoravit. Cui
*masculae prolis cupidae Brachmana oraculum edidit de
34. *filii genitura: Ex utero tuo, venusta mulier, post breve
*tempus nascetur cum ipso veneno filius faustus; noli pa-
35. *vere, lucidis oculis decora! — Chyavano salutato Diva
*regibus edita, fida marito eodemque orba, filium ex eo
36. *peperit. Quod autem venenum ipsi datum fuerat a rivali

---

1) Hae regum stirpes nondum, quod sciam, aliunde innotuerunt. Desiderantur eorum nomina in lexico Wilsoniano, nam *Haihaya*, qui solus ibi exhibetur, alias *Cârtavîrya* dictus, huc non facit.

2) Apparet, hanc reginam *Câlindim* diversam esse ab homonyma fluvii nympha, qui fluvius notiore nomine *Yamunâ* dicitur, apud veteres *Iomanes*, Anglice *Jumna*.

Digitized by Google

*foetum enecandi cupida, cum hoc veneno is natus est,
Sagarus inde dictus 3). — Sagari filius fuit Asamanjas; 37.
ab Asamanja genitus Ansumantes, Dilîpas Ansumantis
exstitit filius, Dilîpae Bhagîrathas; a Bhagîratha genitus 38.
Cacutsthas, a Cacutstha porro Raghus. Raghûs insignis
filius fuit Purushâdacus statura excelsus. Hic idem 39.
Calmâshapâdus quoque dictus fuerat 4) a quo gignitur
Sankhanus; Sudarsanas a Sankhano, Agnivarnus a Su-
darsana. Sîghragas autem Agnivarni filius fuit, Sîghra- 40.
gae Marus. A Marû genitus Prasusrucas, Ambarîshus
a Prasusruca. Ambarîshi filius exstitit Nahushas terrae 41.
dominus, Nahushae vero Yayâtes, Nâbhâgas deinde Ya-
yâtis proles. Nâbhâgae filius exstitit Ajas, Ajae denique 42.
Dasarathas. Ab hoc Dasaratha geniti sunt duo fratres,
Râmas et Laxmanus 5). *Haec est series regum* a prisca 43.

---

3) Est lusus etymologicus, quales plures vidimus, in nomine Sagari, quasi dictus foret a particula *sa*, ex *saha* contracta, quae in compositis societatem significat, et *gara*, venenum. — Versus asteriscis notati absunt a codicibus Bengalicis, ceterisque eiusdem sectae, a Guzeratensi etiam nostro. Quos tamen, commentatorum auctoritate fretus, servandos censui: sunt enim optimae notae, et continent narrationem valde memorabilem. Praeterea dubitari nequit, quin critici Bengali eosdem versus in textu antiquiore exstantes arbitrario eiecerint. Hiulcam nimirum reddiderunt orationem, dum retinent nominis notationem, at fabulam omittunt, ad quam ea alludit.

4) *Purushâdaca* est anthropophagus. Hic, a pedibus maculosis antea *Calmâshapâda* dictus, propter filium Vasishthae occisum in anthropophagum mutatus traditur.

5) Prior pars huius genealogiae usque ad Manum est theogonici generis; enumerantur deinde ab Ixvâcû usque

Digitized by Google

inde prosapia incontaminatorum, piissimorum, ab Ixvâcû
44. genus deducentium, heroum fide insignium. Râmae et
Laxmani nomine ambas filias tuas, o rex, nuptum peto.
Paribus pares nobilitate puellas iungere te decet.

---

ad Dasaratham triginta quatuor Râmae maiores. Nihil fere variant codices utriusque recensionis in serie et numero regum Ayôdhyae, nisi quod Guzeratensis noster inter Trisancum et Dhundhumârum interponit *Harischandrum* et *Hitâsvam*, quorum nominum prius aliunde est notum, sed hinc alienum. Hoc Râmae stemma sine dubio est genuinum, id est vetere memoria traditum. Neque enim maiorem ei auctoritatem quam genealogiis Graecorum heroïcis ab Inacho inde deductis tribuendam esse, multo minus chronologiam aliquam inde extundi posse arbitror. Notari tamen meretur multitudo nominum seriesque tam perpetua, quum genealogiae Homericae vix ultra quintam generationem ante tempora Troiana ascendant. Poëtae seriores, nescio qua de caussa, multa pro arbitrio suo mutarunt, ut videre est ex libro FRANCISCI HAMILTONIS: *Genealogies of the Hindus, Edinburgh* 1819. Is quidem diversa stemmata regum Ayôdhyae exhibet e carminibus *Srî-Bhâgavatâ-Purâna* et *Harivansa* dictis, denique in ultima Tabula XXV apponit ex Rameïde heroïs genealogiam plane cum textu nostro congruentem, quam primo loco exhibuisse oportebat. Impendit auctor huius libri, ipse linguae Sanscritae ignarus, laudabilem diligentiam in nominibus rectius scribendis, quam id ab eius popularibus fieri solet; et utilem operam navasset, dummodo missa fecisset somnia chronologica et opinionem saepe recoctam, dudum explosam, de polytheismo ex apotheosi mortalium orto. Ceterum, ut recto ordine procederetur, ante omnia erant excutienda, quaecunque genealogici argumenti in Râmeïde et Bharatea leguntur. Plane non audiendus est *Ionesius*, (AS. RES. VOL. II. *On the chronology of the Hindus*) qui

Digitized by Google

CAPUT LXXI.

JANACI PROSAPIAE DECLARATIO.

Talia dicenti Janacus venerabundi habitu haec con- 1.
tra refert: Placeat tibi, quaeso, audire genus nostrum
a me declaratum. Etenim in connubio iungendo, op- 2.
time vates, oportet virum genere nobilitatum plenissime
omni ex parte prosapiam suam eloqui; auscultare ergo
mihi velis. Fuit olim rex rerum gestarum fama per tres 3.
mundos celebratus, Nimes iustissimus, inter veridicos fide

---

dum libro nullius ponderis, suae aetatis foetui, nimium fidit, in gravissimos errores incurrit. Auctor carminis de Raghuidarum stirpe (RAGHU-VANSA) narrationem suam a Dilîpa orditur, quem Raghûs patrem facit; huic proxime subiicit Ajam: utrumque contra Vâlmîcis auctoritatem. Omnino multa transilit, et in iis solis moratur, quae post antiquiores poëtas novo modo exornare posse sibi visus est. Quod si ea quae auctor Raghu-vansi, quem pro Câlidâso Indi nobis venditant, de Dasarathae et Râmae rebus gestis a Vâlmîce habet, cum huius narratione compares, videbis hinc fontem e vivo saxo sponte scaturientem; illinc aquam stagni cuiusdam fistulis operose in altum eiaculatam. Sed Câlidâsus personatus seriem posterorum Râmae per viginti quatuor generationes continuat, tam infelici exitu, ut veram progeniem regiam exstinctam cum Agnivarno innuere videatur. Qui principes Indi hodieque Râmam tanquam caput nobilitatis suae gloriantur, aut vana iactant, aut a filiis natu minoribus originem traxisse putandi sunt. Etenim stemmata, quae a poëtis exhibentur, in filiis natu maximis imperiique heredibus plerumque subsistunt.

Digitized by Google

4. insignis. Huius filius Mithes dictus est, Mithis filius Ja-
nacus, qui primus regnum hocce tenuit. A Janaco gi-
5. gnitur Udâvasus, ab Udâvasû vero procreatus est pius
Nandivardhanus; Nandivardhani filius exstitit heros, Su-
6. cêtûs nomine clarus; Sucêtus habuit filium pium ac
praevalidum, Dêvarâtum. Regi sapienti Dêvarâto Vriha-
7. drathas natus memoratur; Vrihadrathae proles heroïca
exstitit Mahâvîrus augustus; Mahâvîri Sudhrites propo-
8. siti tenax, fide excellens. Sudhritis deinde pius Dhri-
shtacêtus filius fuit, regisque sapientis Dhrishtacêtûs Ha-
9. ryasvas fama celebratus. Haryasvae natus Marus fuit,
Marûs Pratîndhacus, Pratîndhaci rex iusti studiosus Cîr-
10. tirathas. Cîrtirathas porro filium habuit Dêvamîdhae
nomine notum; Dêvamîdhas Vibudham, Vibudhas Ma-
11. hândhracum. Mahândraci filius exstitit princeps strenuis-
simus Cîrtirâtus; ab hoc rege sapiente Cîrtirâto gignitur
12. Mahârôman, a Mahârômane vero filius iusti studiosus
Svarnarôman claro nomine dictus; a rege Svarnarômane
13. deinde gignitur Hrasvarôman. Huic recti gnaro, magna-
nimo, natum est par filiorum, quorum natu maior ego
14. sum, frater meus minor, fortis Cusadhvajus [1]). Me vero

---

1) Stemma regum Mithilensium viginta tria nomina complectitur. Est itaque aliquanto contractius quam stemma Cosalorum, quanquam ab eodem termino deductum, si lexicographo Anglo fidem habemus, qui *Nimem* Ixvâcûs filium perhibet. Similiter *Fr. Hamilto*, qui in Tab. XXV genealogiam Mithilensium ex Râmeïde pollicitus, in nominibus aliquoties a Vâlmîce aberrat. At Ixvâcum stirpis Vidêhanae auctorem ex Râmeïdos textu nisi corrupto haurire non potuit. V. Cl. WILSO s. v. *Nimi*, ut solet, nullam laudat auctoritatem. Qui in *Bhagavad-Gîtâ* (III, 20) memoratur Janacus, inter reges

Digitized by Google

natu maximum postquam pater ad capessendum regnum
inauguraverat, cura fraternae sortis mihi demandata, in
silvam secessit. Patre deinde grandaevo ad coelum evecto, 15.
equidem hoc onus ex aequo et bono subibam, fratrem
Cusadhvajum, diis comparabilem, respiciens cum carita-
tis affectu. At post aliquantum temporis ab urbe Sân- 16.
câsia huc advenit rex fortis Sudhanvan, Mithilam obsi-
dione cincturus; isque mihi denuntiavit, arcum Sivae prae- 17.
stantissimum Sîtamque puellam, loti folia oculis referen-
tem, tradi sibi oportere. Quam quum negassem, Brach- 18.
mana sapientissime, rex ille Sudhanvân proelio mecum
conflixit, et in eo certamine vulneribus adversis a me
caesus est. Interfecto rege Sudhanvane, ego in urbe 19.
Sâncâsia fratrem bellicosum Cusadhvajum solenni more
regem creavi. Hicce frater meus est iunior, ego natu 20.
maior. Tibi, praestantissime vates, quem salvere iubeo,
summopere laetus duas virgines trado, Sîtam Râmae ducen- 21.
dam, Urmilamque Laxmano. Filiam meam Sîtam, virtutis
praemium, Superûm filiabus comparabilem, ac secundo 22.
loco Urmilam: ter idem dico, ut omnem dubitationem
tollam. Hasce duas virgines summopere laetus tibi trado,
vates praestantissime. Tu vero, rex, si tibi placet, vac- 23.
carum donationem a Râma et Laxmano faciendam instrue,
maiorum Manibus iusta solve, denique nuptialia sacra
perfice. Hodie luna intrat domum lunarem, quae Ma- 24.

---

sapientes piis operibus claros, sine dubio intelligendus est prior huius nominis, tertius a Nime, a quo et universa progenies cognominata est. Hic idem, teste scholiaste Madhusûdano, in quadam Vedorum *Upanishade* colloquium cum Yâjnavâlcio habuisse traditur.

Digitized by Google

gha dicitur: tertio abhinc die, fortissime rex, sub Phâlgunia posteriore [2]) nuptialia sacra perfice.

CAPUT LXXII.

VACCARUM DONATIO.

1. Vixdum loqui desierat Janacus, et sollers vates Visvâmi-
2. tras cum Vasishtha consociatus talia refert: Gentes Ixvâcui-
darum et Vidêhorum, Raghuide, immensa et inenarrabili
3. nobilitate splendent; nemo hisce aequiparari potest. Ae-
quale est legitimum hocce connubium, aequale etiam formae
decore, inter Sîtam Urmilamque, et Ramam Laxmanumque
4. altera ex parte. Sed amplius dicendum est, optime prin-
ceps! Audiatur oratio mea. Hicce rex legum gnarus
5. Cusadhvajus est frater tuus natu minor. Huic pio est
par filiarum, forma per orbem terrarum incomparabile,
6. quas nuptum petimus. Bharatae adolescentis et Satru-
ghnae sollertis, utriusque magnanimi nomine, o rex, nup-
7. tum peto filias tuas. Omnes hi Dasarathae filii sunt
forma et iuventa insignes, mundi custodum similes, di-
8. vino vigore animosi. Istorum amborum affinitate quoque
integra Ixvacuidarum gens, o rex sanctis operibus clare,

---

2) Duplex est *Phâlgunia*: sunt nimirum duae domus lunares eiusdem nominis, prioris et posterioris cognomine distinctae. Proxime se excipientes, undecimum duodecimumque locum occupant. *Cf. Jonesius de Zodiaco Indico*, As. Res. Vol II, p. 293 sqq.

Digitized by Google

tecum devinciatur. Audita Visvâmitrae oratione, a Va- 9.
sishtha statim comprobata, Janacus protensis manibus
iunctis utrumque talibus affatur: Fortunatam arbitror gen- 10.
tem hanc nostram, quacum vos, vatum principes, aequa-
lem genere affinitatem iungere ultro iubetis. Ita fiat! 11.
Gratias vobis ago. Cusadhvaji filiae duae uxorum con-
ditione tum Bharatam, tum Satrughnam sortiantur. Uno 12.
eodemque die quatuor regis filii praevalidi manu pre-
hensa sibi iungant quaternas puellas regias. Posteriore 13.
die ex duobus, quos gemina Phalgunia occupat, viri ha-
rum rerum periti commendant sacra nuptialia: huic prae-
sidet Bhagus animantium generator [1]). Dictis hisce ver- 14.
bis bene auspicatis rex Janacus assurgens manibus iun-
ctis utrumque vatem denuo alloqui: Summum officium 15.
mihi praestitistis; discipulus vester sum in perpetuum;
solia haec regalia, vates egregii, a vobis occupantor.
Sicuti haec urbs Dasarathae est propria, ita Ayodhya 16.
quoque mea facta est. Ne dubitetis de summa auctori-
tate: cuncta perficite, quomodo vobis placet. Haec di- 17.
cente Janaco Videhano, Raghuides Dasarathas gaudio
affectus regi talia retulit: Vos ambo fratres, Mithilensium 18.
principes, infinitis virtutibus estis praediti; Sapientes re-
gumque coetus a vobis cohonestantur. Fausta tibi pre- 19.
cor, o rex! vale! Nunc ego ad deversorium meum rever-
tar, et in honorem Manium caeremonias secundum prae-

---

1) De Phâlgunia cf. supra ad Cap. LXXI, 24. Ultimum hemistichium est paullo obscurius propter multiplicem significationem utriusque vocabuli *bhaga* et *prajâpati*. Bengalici posterius omittunt, prioris loco habent *bhaga-dêvatâh*. WILS. LEX. explicat: *Bhaga-dêvatâ*, numen nuptiale.

Digitized by Google

20. cepta curabo. His dictis rege salutato Dasarathas glorio-
sissimus praeeunte utroque vate protinus abiit. Ad sta-
21. tionem reversus rex, inferiis rite curatis, postero mane
quam primum illuxerat, surrexit et vaccarum donationem
22. magnifice perfecit. Centena millia vaccarum distribuit
Brachmanis hominum princeps, singulatim nuncupatis de
23. more filiorum nominibus, ut igitur explerentur quadrin-
genta vaccarum millia, omnes cornubus inauratis ornatae,
24. cum vitulis, singulae situlam lactis praebentes. Rex vero
circumdatus filiis, pro quibus vaccarum donationem
perfecerat, speciem referebat placidi animantium Paren-
tis, mundi custodibus stipati.

CAPUT LXXIII.

DASARATHAE FILIORUM NUPTIAE.

1. Quo die autem rex egregiam vaccarum donationem
celebraverat, eo ipso die heros Yudhâjites ei supervenit,
2. regis Caeceorum filius, idemque Bharatae avunculus,
Qui rege conspecto et interrogato, an recte valeret.
3. haec deinde addidit: Caeceorum dominus amore motus,
o rex, salvere te iubet; simul quaerit quorum incolumi-
4. tatem tu optas, an omnes in praesentia valeant. Rex
iste, Raghuidarum praeses, apud se videre cupit sororis
meae filium, huiusque mandati gratia ego Ayôdhyam adii.
5. Ibi autem, comperto, te hic commorari cum liberis ac
propinquis tuis, festinanter te subsecutus sum, cupidus
6. visendi sororis filium. At rex Dasarathas, quamprimum
conspexit carum hospitem ad se accedentem, insigni

Digitized by Google

hospitio virum honoribus dignum honoravit. Deinde, 7.
postquam noctem proximam cum filiis quieti dederat,
rex, Vasishtha ceterisque vatibus ante se collocatis, adiit
aream sacrificalem. Instante hora, quae a Victoria no- 8.
men habet, Râmas, post vota pro faustis nuptiis nuncu-
pata, ad patrem prope accedens lateri eius adstitit. Tum 9.
sanctus Vasishthas progressus Vidêhanum talibus allo-
quitur: Rex Dasarathas cum filiis, post vota pro faustis 10.
nuptiis nuncupata, te, optime princeps, datorem deposcit.
Omnes pactiones a datoris et acceptoris arbitrio pen- 11.
dent; tute ergo officium exple, nuptialia rite peragendo.
Generosissimus Janacus, legum probe gnarus, a Va- 12.
sishtha magnanimo ita compellatus, haec refert: Quis
ianitor foribus meis adstat? cuiusnam iussa exspectat ille? 13.
quaenam est dubitatio in propria domo? Siquidem hocce
regnum tuum est. Quatuor puellae meae, post vota pro 14.
faustis nuptiis nuncupata, aream sacrificalem iam adie-
runt, lucentes tanquam ignis scintillae. Equidem dudum 15.
te exspecto, ad hoc altare constitutus. Cuncta sine im-
pedimento peragantur: quam ob caussam amplius differ-
tur? Audita hac oratione a Janaco prolata, Dasarathas 16.
ilico filios suos totamque Sapientum cohortem progredi
iussit. Deinde Vidêhorum rex ad Vasishtham conversus, 17.
Curare velis, inquit, vir venerande, omnem ritum nu-
ptialem peragendum. Quod quum ei annuisset sanctus 18.
vates Vasishthas, comitante Visvâmitra pioque Satânando,
aram in medio foro, lacubus instructo, secundum prae- 19.
cepta sacra exstructam undique odoribus floribusque con-
decoravit; aureis capedinibus quoque, urceis perforatis 20.
cum surculorum cumulis, acerris ture refertis, vasis con-
cheis, ligulis ligneis, pateris dona hospitalia asservanti- 21.
bus, nec non vasis oryzae tostae plenis, cum granis quo-

Digitized by Google

22. que palea purgatis. Postquam solum verbenis aequalibus rite constraverat, carmine solenni pronuntiato, laticem pinguem in ignem iniecit Vasishthas anachoretarum
23. optimus. Tum rex Janacus Sîtam omni mundo muliebri ornatam adduxit, et quum in conspectu ignis ad Raghui-
24. dem obversam constituisset, Causaliae matri laetitiae auctorem affatus, En! inquit, filiam meam Sîtam, reli-
25. gionum tuarum sociam futuram. Accipe eam, quod bene tibi eveniat; manum eius manu prehende! Marito dedita generosae indolis coniux sicuti umbra tua semper te comi-
26. tabitur. Ita locutus rex conspersit eam aqua carminibus lustrata, dum interim Dii Sapientesque, Euge! pulcre!
27. acclamabant. Postquam hunc in modum tradiderat filiam Sîtam aqua lustrali irroratam, denuo orsus est Janacus
28. gaudio cumulatus: Accede, Laxmane, quod bene tibi vertat! Accipe Urmilam a me tibi oblatam! Manum eius
29. prehende, ne tempus opportunum praetereat. Hunc ita affatus, deinceps ad Bharatam conversus, Prehende, in-
30. quit, manum Mândavidis manu tua, Raghûide! Denique pius Mithilae dominus Satrughnam etiam compellavit:
31. Srutacîrtidis manum, o heros, manu tua prehende! Vos omnes Cacutsthidae, benigni estote, castoque matrimonii iure cum uxoribus coniuncti; nec sinite tempus oppor-
32. tunum praeterire. Sermone Janaci audito quaterni illi Vasishthae assensu confirmati, quaternarum puellarum
33. manus manibus tetigere. Deinde Raghûs nepotes magnanimi, cum coniugibus consociati, ignem sacrum, aream sacrificalem, regem vatesque versus dexteram circumam-
34. bularunt. Ingens florum imber admodum lucidus ex aethere decidit cum tympanorum coelestium strepitu,
35. vocibus musicisque organis resonantibus. Nymphae duxere choreas, Fidicinesque suavibus modis concinuere,

Digitized by Google

ad celebrandas nuptias principum ex Raghûs stirpe, ita
ut adstantibus miraculo esset. Dum perdurabat iste va- 36.
riorum organorum vocumque strepitus, igne ter circum-
ambulato uxores suas abduxere invenes splendidissimi,
fausta Raghuidarum progenies, et cum iisdem ad dever- 37.
sorium se contulere, quo rex ipse, praesens rei testis,
Sapientum cohorte cognatisque comitantibus, eos prose-
cutus est.

CAPUT LXXIV.

CONGRESSUS CUM JAMADAGNEIO.

At postero mane, quam primum illuxerat, magnus 1.
vates Visvâmitras, salutato heroë utroque, ad montes se-
ptentrionales perrexit. Qui postquam discesserat, rex 2.
Dasarathas quoque, Vidêhano Mithilae domino salutato,
iter ad urbem suam ingressus est. Tum rex Videhorum 3.
filiabus amplissimam dotem dedit: stragula tapetasque
varii generis, vestesque lineas ac bombycinas. Dedit 4.
quoque puellarum pater iis comitatum divina specie,
magnifice ornatum, elephantorum, equorum, curruum
peditumque, nec non ancillarum famulorumque catervam
egregiam. Dedit porro rex laetitia affectus auri pondera, 5.
mundum aureum, margaritas et coralia, quicquid est gra-
tissimum in dote puellari. Tam variis opibus distributis, 6.
rege benigne dimisso, Mithilensium princeps ad regiam
suam reversus est. Ayôdhyae dominus quoque cum filiis 7.
magnanimis discessit, vatibus cunctis in fronte collocatis,
militum agmine a tergo eum sequente. At heroï cum 8.

Digitized by Google

vatum cohorte Raghuidisque iter facienti obscenae volu-
9. cres undique omina occinere, ac simul cunctae ferae
terrestres versus dexteram decurrere; quibus conspectis
10. rex augustissimus ex Vasishtha quaesivit: Ecce! obscenae
volucres infausti ominis, feraeque versus dexteram de-
currentes! Quid hoc est, quod corda tremefacit? Mens
11. mea est conturbata. Audito regis Dararathae sermone
magnus vates dulci voce infit: Audi, quid hoc porten-
12. dat. Instat periculum horrendum, ex volucrum divina-
rum ore prolatum; ferae istae vero te solantur: dimitte
13. hanc perturbationem. Dum hi inter se colloquebantur,
ingens turbo prorupit, tremefaciens terram universam,
14. magnosque arbores prosternens. Sol tenebris fuit ob-
volutus, nemo coeli plagas distinguere poterat; totum
agmen istud, cinere coopertum, erat quasi attonitum.
15. Vasishthas ceterique vates, rex quoque cum filiis suis
animi quodammodo compotes manserunt, reliqui omnes
16. exsternati fuere. In hac autem horrenda caligine exer-
citus iste cinere quasi obvolutus conspexit, terribili forma,
17. apicem comae plexae gestantem Bhriguidem Jamadagneium,
regum reges contundere solitum; inexsuperabilem sicuti
montem Cailâsum, indomabilem sicuti fatalem mundi
18. conflagrationem; humero iniecta securi, exprompto cum
sagitta acerrima arcu, fulminum nimbi instar, qualis fuc-
19. rat faustus ille arcus, quo Tripurus caesus est. Quem specie
terribilem sicuti flammam coruscam Brachmanae tacitae
precationis ignisque sacri studiosi quum conspexissent,
20. cuncti Vasishtha duce congressi tales sermones inter se
submissa voce serere: Num forte patris caedem indigna-
21. tus ordinem militarem interneccione delebit? Siquidem
olim, bellicae stirpis caede facta, iram suam impetumque
sedavit, non sane nunc denuo ordinis militaris cladem

Digitized by Google

molitur. Ita locuti vates pateram hospitalem manu tenen- 22.
tes dulci voci, Râma! o Râma! eum invocarunt. Ille vero, 23.
hac supplicatione accepta, nullo vatibus responso dato,
Râmam Dasarathidem Râmas Jamadagneius hunc in mo-
dum affatur.

CAPUT LXXV.

JAMADAGNEII SERMO.

Râma Dasarathide, heroum proles! celebratur virtus 1.
tua mirabilis; ipse quoque audivi totum eventum de arcu
diffracto. Mirabile est hoc ac fide maius, quod tu arcum 2.
illum diffregisti: qua fama accepta egomet huc accessi,
altero arcu fausto arrepto. Hunc ipsum ingentem arcum 3.
Jamadagneium, specie terribilem, intende tu sagitta, ac
vigorem tuum spectandum exhibe. Quam primum vigo- 4.
rem tuum perspexero huic etiam arcui tendendo parem,
certaminis singularis conditionem tibi largibor, o heros,
quod in laudem tibi vertet. Huius tali sermone audito 5.
rex Dasarathas protinus deiecto prae moestitia vultu,
anxius, supplicis habitu haec profatur: Tu iam placatus 6.
ab ira contra ordinem militarem requievisti, piissimus-
que es Brachmana: te filiis meis adolescentulis pacem
securam concedere decet. Prognatus ex Bhriguidarum 7.
stirpe, studio librorum sacrorum votisque piis insignium,
secundum fidem deo mille oculis praedito datam tu telum
tuum proieceras; tute ipse ad religiones conversus, tel- 8.
lure Casyapo concessa, in silvam secedens, habitationem
in monte Mahendro tibi elegeras. Nunc vero huc ad- 9.

Digitized by Google

venisti, magne vates, in ultimam perniciem meam: etenim
10. uno Râma caeso nemo nostrum profecto vivet. Dum ita lo-
quebatur Dasarathas, augustus Jamadagneius spreto eius ser-
11. mone Râmam solum affari: Duo isti arcus, o Râma, coe-
lestes, per orbem universum summo in honore habiti,
firmi, strenui, egregii, affabre facti fuere a Visvacarmane.
12. Horum alterum, nobilissime iuvenis, Superi Trioculo pu-
gnandi cupido permiserunt, quo is Tripurum interfecit.
13. Ille idem a te, Cacusthide, est diffractus. Hicce alter
arcus invictus a Superûm principibus Vishnui datus est:
quem ego urbibus hostium expugnandis aptum, en! manu
14. teneo. Aliquando autem cuncti Coelites rogavere Magnum
Parentem, ut explorandum curaret utrum Caerulicervicus
15. an Vishnus magis viribus polleret. Coelitum consilio co-
gnito Magnus Parens, numen nunquam fallax, locum de-
16. dit contentioni inter istos, ex qua contentione ortum est
ingens certamen horrificum inter Caerulicervicum Vi-
17. shnumque, ambo alterius vincendi cupidos. Tum vero
Sivae arcus gravi fremitu, *ex Vishnûs ore emisso*, luxatus
est, unde potentissimus deus Trioculus immobilis quasi
18. obstupuit. Quo facto a Diis cum Sapientum cohorte
Praeconibusque consociatis exorati in gratiam rediere
19. hi duo Superûm principes. Viso antem Sivae arcu lu-
xato Vishnûs virtute, Dii pariterque Sapientum catervae
20. Vishnum posthac fortiorem arbitrati sunt. At Rudrus
gloriosissimus ira incensus sapienti regi Dêvarâto in Vi-
dêhorum terra arcum simul cum sagittis de manu in ma-
21. num tradidit. Hunc vero arcum quem cernis, Râma,
hostium urbibus expugnandis destinatum, ipse Vishnus
22. Richîco Bhriguidae permisit tanquam pignus unicum.
Tum augustus Richîcus filio suo inexsuperabili, patri
meo, Jamadagni magnanimo tradidit arcum divinum.

Digitized by Google

Patri autem meo, qui sanctimonia vim mirabilem sibi 23.
quaesierat, arcum custodienti, Arjunas, ad abiectum consilium conversus, necem ex insidiis struxit. Qua caede 24.
horrenda ac nefaria patris comperta, ego prae ira ordinem militarem cladibus afficere coepi, quoties nova progenies subnasceretur; domitoque orbe universo, Casyapo 25.
magnanimo sanctis operibus claro in fine sacrificii pro mercede sacerdotali eius imperium tradidi. Deinde in 26.
Mahêndro habitans, castimoniarum virtute fretus, perstiti, commode religionibus intentus in monte isto a Diis frequentato. Ut vero comperi e sermonibus Coelitum in 27.
sede aetheria attonitorum, arcum esse diffractum, celeriter ego huc advolavi. Hunc eundem Vishnûs arcum prae- 28.
stantissimum, qui patris mei avique proprius fuit, prehende tu, stirpis bellicae morem aemulaturus: ad hunc 29.
intende sagittam hostilium urbium victricem. Quod si perficere potes, Cacutsthide, tunc tibi certaminis singularis conditionem largibor.

CAPUT LXXVI.

JAMADAGNEIUS SUPERUM SEDIBUS EXCLUSUS.

At audita Jamadagneii provocatione Dasarathides, 1.
patris reverentia cohibens verborum insolentiam, Râmae haec regerit: Dudum comperi, Bhriguide, quodnam tu 2.
facinus olim patraveris. Condonamus tibi istud, Brachmana, utpote patri tuo debitum solvere annitenti. Con- 3.
temnis vires meas, Bhriguide, quasi virtute forem destitutus, atque impar muneri hominis militaris sustinendo. Hodie fortitudinem meam experiere. Ita locutus Raghui- 4.

Digitized by Google

des iratus, arcum nobilissimum cum sagitta ex istius
5. dextera arripuit, ut erat motu agilis. Quem quum arcum
tetendisset, sagittamque ei accommodasset, protinus Râ-
6. mam Jamadagneium indignabundus Râmas talibus affatur.
Tu es Brachmana, ideo mihi venerandus, ac Visvâmitrae
respectu etiam; equidem, si vel maxime possim, sagittam
7. letiferam contra te haud conicecrim. Aut vagum istum
meatum tuum, quem castimoniis tibi quaesivisti, aut
sedem in mundis incomparabilibus praecidere volo: sic
8. stat sententia. Profecto haec Vishnûs sagitta divina, ho-
stilium urbium victrix, non incassum evolat: virtute sua
9. robur ac superbiam ea contundit. Superi vero cum Sa-
pientum cohorte, ad visendum Râmam telum nobilissi-
mum gestantem, Magno Parente duce, undique eo con-
10. venere; Fidicines quoque, Nympharum chori, Beati, Prae-
cones, Hippocephali, Genii, Gigantes, Serpentesque, ut
11. ingens hoc miraculum spectarent. Dum interim orbis
universus obstupescebat Rama telum nobilissimum ge-
stante, Râmas ille Jamadagneius animum despondens,
12. Râmam intuebatur. Huius maiestate quum fracta ipsius
fortitudo esset, Jamadagneius attonitus Râmam loti folia
13. oculis referentem submissa voce affatur: Olim quando
tellus a me Casyapo tradita fuit, ille mihi edixit, ut ne
14. in ipsius ditione habitarem. Ego vero, magistri dicto
parens, noctu in terra non commorari soleo. Absit, Ca-
cutsthide, ut fidem promissi unquam fallam! Ita decretum
15. est. Idcirco istum meatum meum, o heros, praecidere
non te oportet. Cogitatione celerius abibo ad Mahên-
16. drum [1]) montem excelsissimum. Sedes autem in mundis

---

1) Fallitur lexicographus Anglus, dum *Mahendrum* ad montium iugum, quod in occidentali peninsulae Indicae

Digitized by Google

incomparabilibus, quas castimoniis mihi quaesivi, praecidas licet sagitta emissa; neque ulla amplius fiat mora.
Arcus huius experimento agnosco te, aeternum Madhûs 17.
interfectorem, potentissimum numen: salve mihi, hostium
domitor! Ecce, Superûm agmina undique congregata te 18.
intuentur, incomparabilem rebus gestis, inexsuperabilem in
proelio. Neque ullus pudor mihi esse debet, Cacusthide, 19.
quod a te, tergemini mundi domino, frontem demittere
coactus fui. Te decet, sancte Râma, sagittam praestantissi- 20
mam emittere, post cuius iactum illico ad montem excelsum
Mahêndrum abibo. Ita loquente Râma Jamadagneio au- 21.
gustus Râmas Dasarathides sagittam praestantissimam emisit; qua quum ille vidisset praecisas sibi sedes superas 22.
castimoniis quaesitas, festinanter abiit ad Mahêndrum
montem excelsum. Tunc statim cunctae coeli plagae 23.
cardinales et intermediae serenatae sunt, Superique cum
Sapientibus congregati Râmam teli iaculatorem laudibus
extollere. Râmas Jamadagneius ipse quoque, Râma 24.

---

littore decurrit, (*the Ghats*) referendum esse censet. Habemus ea de re testimonium disertum. *Ragluvânsi* auctor (VI, 54.) Mahendrum montem in ditione regis Calingarum ponit, e cuius regia oceanus prospici poterat. Vulgo notum est, tractum littoralem a Gangis ostio versus meridiem huius populi sedem fuisse. Inde suspicari licet, Mahendrum montem eundem esse, qui Plinio promontorium Calingôn dicitur. Nomen hodiernum, *Cape Palmyras*, ab huius generis palmarum, Borassi flabelliformis, abundantia ductum, mire conspirat cum descriptione poëtae, qui ibidem earundum nemora laudat. RAGHU-VANSA. VI, 51. Intelligitur inde, Râmam Jamadagneium a Casyapo ad extremum Indiae oram relegatum fuisse.

Digitized by Google

Dasarathide laudato ac versus dexteram circumambulato, suum meatum ultro est prosecutus.

CAPUT LXXVII.

BHARATAE DIMISSIO.

1. Postquam abierat ille, Râmas Dasarathides placato animo arcum cum sagittis Varuno immenso in manus tra-
2. didit. Deinde veneratus Vasishtham ceterosque vates, conspicatus patrem conturbatum, Raghuides talia profa-
3. tur: Abiit Râmas Jamadagneius; progrediatur exercitus quaternis copiis instructus versus Ayôdhyam, te impe-
4. rante, domine. Audito Râmae sermone rex Dasarathas ambobus brachiis amplexatus eum atque in fronte deo-
5. sculatus, percepto nuntio de illius discessu, laetitia ela-
6. tus, semetipsum filiumque revixisse arbitrabatur. Excitato protinus exercitu perrexit ad urbem suam regiam, sublatis ex aedibus vexillis ornatam, organorum musicorum
7. strepitu resonantem, irroratis plateis lustratam, amoenam, sparsis floribus cumulatam, plenam civium propter regis adventum exhilaratorum, festas corollas manibus gestan-
8. tium. Hanc pulcre ornatam, multitudine frequentem, intranti regi longe obviam progressi sunt cives ac Brach-
9. manae ibi habitantes. Ipse faustus, gloriosus, comitantibus filiis faustis, intravit domum suam caram, Himavan-
10. tis instar excelsam. Tum Causalia, Sumitraque Caeceïsque tereti latere decora, pariterque ceterae gynaecei regii feminae, promptae erant ad nurus benigne excipien-
11. das. Deinceps Sîtam generosam, Urmilamque nobilissimam, geminasque Cusadhvaji natas salutavere regiae

Digitized by Google

coniuges. Cunctae simul festo ornatu, lineas vestes in- 12.
dutae, gratulationibus sacrisque puris ad deorum altaria
supplicare. Veneranda numina veneratae istae regum 13.
filiae, per tempus opportunum cum fratribus copulatae
secretis gaudiis indulgere. Magnanimi vero adolescen- 14.
tes, fortitudine per orbem terrarum incomparabiles, quum
suam quisque domum occupasset, Cuveri regiae similem,
coniugium sortiti, armorum usum edocti, opibus amicis- 15.
que affluentes, patri dicto audientes, vitam degebant qua-
lis principes decet. At post aliquantum temporis rex 16.
Dasarathas filium suum Bharatam, ad se vocatum, hisce
admonuit: Commoratur apud nos, mi filiole, regis Cae- 17.
ceorum natus, qui huc advenit ad te arcessendum, he-
ros Yudhâjites, avunculus tuus. Audito Dasarathae mo- 18.
nito, Bharatas Cacceïdis filius ad iter faciendum, socio
assumpto Satrughno, se accinxit. Deinde quum valedi- 19.
xisset patri, Râmae strenuissimo matribusque iuvenis he-
ros, Satrughno comitante profectus est. Heros Yudhâjites 20.
autem laetatus propter Bharatam cum fratre ipsi conces-
sum, ad urbem suam reversus, patrem desiderii compo-
tem fecit. Post Bharatae discessum Râmas Laxmanusque 21.
praevalidus patrem, deos maiestate aequanten, omni re-
verentia colebant. Pius Râmas iussa paterna spectans 22.
civibus omnimodo officia praestabat, tum grata, tum
salutaria. Matribus quoque summa cum pietate officiis 23.
praestitis, debitam magistris observantiam nullo tempore
non respiciebat. Idcirco ipse Dasarathas, Brachmanae, 24.
nec non civium collegia, denique cuncti terrae incolae
Râmam propter morum integritatem diligebant. Râmas 25.
vero cum Sita coniunctus plures anni horas [1]) delecta-

1) A paucis quidem, sed melioris notae scriptoribus Lati-

Digitized by Google

tus est: animo affectuum pleno unice in eam inclinato,
26. illius cordi totum se tradiderat. Cara erat Sita Râmae, utpote coniux a patre ipsi data; tum eiusdem virtute for-
27. maeque praestantia caritas haec in maius augebatur. Altera ex parte maritus in istius corde geminatus versabatur, ita ut intus abscondita quoque cor cum conscio
28. corde communicaret. Denique magis magisque puella Mithilensis, Janaci filia, deabus pulcritudine comparanda, quasi praesens principis Fortuna facta est.

29. Cum hac venusta praeclari regis filia Râmas ex rege sapiente prognatus connubio iunctus, in laetitiam effusus, ultra modum splendebat, sicuti cum Laxmide Vishnus deorum princeps.

---

nis hoc vocabulum ὥρα prisco Graecorum more usurpatur, ut significet certus anni partes nominibus propriis insignitas. Homerus tres modo anni horas agnoscit; plerique populi annum in quatuor partes aequales, aequinoctiis et solstitiis finitas, dividere consueverunt. Indi secundum coeli sui naturam sex diversas tempestates (*ritu*) numerant, quarum unaquaeque binos menses conplectitur. De quibus cf. COLEBR. ad *Amari* Thesaurum.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

RAMEIDOS

VALMICEIAE

LIBER SECUNDUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Decretum de Rama inaugurando.

Interim Bharatas avi materni sedem petens candi- 1.
dum Satrughnam semper hostium profligatorem, [1]) quem
caritas ultro impellebat, secum abduxit. Ibi cum fratre 2.
is commorabatur lautissimo hospitio exceptus, ab avo
Asvapate affectu paterno curatus. Hi duo fratres heroï- 3.
cae indolis, etsi peregre habitantes, ibique oblectamen-
tis, prout libebat, fruentes, recordabantur tamen patrem
grandaevum Dasaratham. Rex augustus quoque recorda- 4.
tione fovebat filios suos in terram longinquam dimissos,
Bharatam pariter ac Satrughnam, Indrae Varunoque si-
miles. Omnes quatuor iuvenes regios caritate genitor 5.
amplectebatur, veluti quaterna brachia ex ipsius corpore
educta [2]). Inter hos Râmas, patris deliciae, fama exsu- 6.

---

1) Ludit poëta in nomine proprio, quod quum per se hanc ipsam significationem habeat, apposito suo auctius geminatur.

2) Alludit poëta ad imaginem Vishnûs, quae plerumque quadribrachia fingitur, ita quidem, ut duo modo lacerti ab humeris cubito tenus descendant, inde divisi in binas utrinque manus exeant. Quae comparatio eo magis idonea est, quod hi quatuor fratres eiusdem numinis erant participes, siquidem Vishnus in hoc *descensu* virtutis suae divinae partem aliquam singulis distribuisse putabatur. Cf. Lib. I, cap. XV, 20—23. XIX, 5. 6.

Digitized by Google

perans, virtute excellebat, sicuti Deus sua vi exsistens in-
7. ter ceteros animantes. Hic utique forma venusta prae-
ditus, fortis, benignus, erat filius per orbem terrarum
8. incomparabilis, virtutibus Dasarathae par. Hic idem sem-
per placide animatus blando alloquio utebatur, nec,
etiamsi quis asperius eum compellasset, simile responsum
9. regerebat. Assidebat continuo viris aetate, morum san-
ctitate ac sapientia gravibus, sermones cum iis serens in
10. exercitii armorum intervallis. A mendaciis aversus, pru-
dens, senum venerator, subditis favens, subditorumque
11. favorem quoque sibi concilians; misericordiae plenus, ira-
cundiae domitor, Brachmanarum venerator; miseris suc-
currens, iustitiae gnarus, semper moderatus ac probus;
12. dignis nobilitate sua consiliis intentus, legem ordinis sui
militaris magni aestimans, persuasus insigni gloria se in-
gens in Superûm sedibus aliquando praemium esse ade-
13. pturum. Nunquam rebus damnosis gaudens, neque in
verbis contentiosis sibi placens, in eloquendi ac respon-
14. dendi concinnitate orator Vrihaspatem aemulans, rite
persoluto discipuli voto lustratus, librorum sacrorum cum
eorum subsidiis probe gnarus; in arte sagittandi vel pa-
15. tre praestantior exstitit Bharatae frater natu maior. Ge-
nerosae indolis, integer, gnavus, verax, sincerus; obse-
quens grandaevis viris bis natis, honestum atque utile
16. perspicientibus; ipse de honesto, utili ac iucundo recte
sentiens, memoria pollens, ad agendum promptus; caus-
17. sarum civilium pactionumque disceptator consultus; taci-
tus, nihil vultu prodens, conciliorum celator, fidis ami-
cis fretus; nunquam frustra ira vel gaudio abreptus, in
18. largiendo et parcendo opportunitatis gnarus, assiduus in
officiis, sententiae tenax, vanis studiis minime addictus,
nec maledicus; indefessus attentusque, suorum alieno-

Digitized by Google

rumque errorum aeque gnarus; ministros remunerandi 19.
secundum cuiusque merita peritus; augendis reditibus
publicis callidus, impensarum providus dispensator; ad 20.
conscendendos ac domandos equos elephantosque ido-
neus; inter sagittandi artis peritos excellens, omnium
consensu heros incomparabilis, bellator proeliatorque, 21.
sollers exercituum ductor; nec profligandus in acie vel a
Diis Titanibusque iratis. Talibus virtutibus, quae civium 22.
favorem ipsi conciliabant, patrisque caritatem alebant,
splendebat Râmas, tanquam radiis sol lucidissimus. Inde 23.
regi grandaevo, post longum vitae spatium exactum, na-
tum est hoc desiderium, ut se adhuc superstite Râmas
rex fieret. Summum hoc desiderium ille in pectore se- 24.
cum volvebat: Quando tandem videbo filium meum carum
aqua lustrali inauguratum? Quum prius hunc ex me pro- 25.
gnatum, ea qua ego sum aetate, toti orbi terrarum im-
perantem videro, tunc sedes coelestes utinam nanciscar!
Cernens itaque virtutibus maturis praeditum, consilio cum 26.
amicis capto in imperium cooptare eum decrevit. Re-
putabat quoque vir sapiens horrendi periculi portenta, 27.
in coelo, aëre terraque ipsi oblata, et decrepitum cor-
poris sui senium. Animadverterat porro gratiam, cura- 28.
rum suarum lenimen, qua Râmas magnanimus, plenam
lunam facie referens, apud populum florebat. Itaque rex 29.
pius, ut perficeret tempore opportuno quod sibi subdi-
tisque tum salutare tum gratum esset, officio ad festinan-
dum impulsus, adducendos curavit multarum urbium in- 30.
colas, tum privatos homines, tum praecipuos terrae do-
minos. Hosce deversoriis variisque lautitiis, sicuti dece- 31.
bat, cohonestatos adspiciebat rex ornatu regali indutus,
tanquam animantium altor animantes a se creatos. At 32.
Caeceorum regem Janacumque prae festinatione non

Digitized by Google

curaverat invitandos hominum princeps, utpote qui postea
33. gratum nuntium comperturi essent. Quum itaque Dasarathas, urbium hostilium eversor, in solio consedisset, ceteri quoque reges fama celebrati in publicum prodiere,
34. et in diversis sedilium ordinibus, regis iussu paratis, adversum intuentes reverenter consedere.

35. Rex vero circumdatus regibus, urbis civibus agrique incolis, cunctis honorificee habitis atque obsequium prae se ferentibus, splendebat sicuti almus Indras mille oculis praeditus, quando Immortalium coetu cingitur.

CAPUT II.

CIVIUM SERMO.

1. Salutata deinde universa concione terrae dominus habuit orationem publice salutarem, corda exhilarantem,
2. plausuque exceptam, quam pronunciavit voce magna, tympanorum coelestium instar gravi ac resonante, qualis est
3. nubium fragor. Probe nôstis, Viri honesti, quomodo maiores mei regum reges, imperium hoc meum amplissi-
4. mum paterno animo tutela sua foverint. A me quoque eandem viam ingresso, qua maiores praeiverant, cives
5. vigilanter pro virili curati fuere. Hocce corpus mihi totius populi salutem molienti sub umbraculi candidi um-
6. bra senio est confectum. Ad annorum millia provectus, corporis huius decrepiti, multis seculis mortalium super-
7. stitis, quietem vehementer appeto. Fatigatus sum subcundo grave onus iustitiae populis administrandae, cum

Digitized by Google

regia maiestate coniunctum, intemperantibus vix tolerabile. En! ego quietem cupio, filio publicae saluti prae- 8.
posito, postquam consilium meum viris bis natis hic praesentibus probavi. Filius meus natu maximus cunctis vir- 9.
tutibus mei aemulus, Râmas, urbium hostilium expugnator, Indram fortitudine aequat. Hunc Lunae cum sidere 10.
Pushio coniunctae similem, optimum iuris defensorem, iuvenem egregium crastino mane in imperium cooptabo.
Hic vobis idoneus erit dominus, divae Laxmidi carus, fau- 11.
stisque notis insignitus, qui vel tergemino mundo regendo sufficiat. Tanto bono protinus hanccc terram ego fortu- 12.
nabo: curis ero exsolutus, quam primum huic filio eam tradidero. Tale consilium mei commodi gratia probe a me 13.
deliberatum vos, viri honesti, comprobare velitis; aut dicatis quid mihi sit faciendum. Etiamsi huc inclinat animus, 14.
tamen aliud quid salutare excogitetur; disceptando enim prodire solet cogitatio aliqua medium inter utramque partem tenens. Ita loquentem regem laeti reges plausu 15.
excepere, sicuti pavones raucum sonantes ingentem nubem imbre gravidam. Deinde insonuit blanda vox, gau- 16.
dio expressa: concentus a multitudine congregata tam clare prolatus, ut regiam quatere videretur. Penitus co- 17.
gnito affectu regis rectum et utile perspicientis, Brachmanae exercitusque ductores, simul cum civibus agrique incolis, ad consulendum congressi, in eandem sententiam 18.
conspirantes, undique allocuti sunt universi senem Dasaratham: Tu grandaevus es, domine, multis annorum 19.
millibus perfunctus; te decet iam nunc Râmam tanquam imperii consortem inaugurare. Cupimus sane adspicere 20.
iuvenem fortissimum, strenuissimum, validis lacertis praeditum, ingenti elephanto insidentem, umbraculo supra verticem elato. Quorum sermonem postquam audiverat 21.

Digitized by Google

rex, quasi ignorans, quid illis gratissimum foret, et co-
22. gnoscendi cupidus, talia refert: Audienti vestram oratio-
nem, quod Raghuidem a me principem expetitis, o reges,
suborta mihi est dubitatio haec, quam ex vero tollere
23. velitis: quomodo tandem fit, me orbem terrarum legi-
time regente, ut natum meum cernere cupiatis regem
24. cooptatum? Tum magnanimi illi *(Brachmanae et ordi-
nis militaris viri)* uno ore cum civibus rusticisque eum
sic affari: Multae sunt, o rex, ac singulares virtutes filii
25. tui. Iuvenis divina indole, sollers, quibusnam virtutibus
gratis nos delectet, id plenissime iam declarabimus: au-
26. scultare tu velis. Non exstat ullus in orbe terrarum
homo, qui Ramae fide, iustitia, gloria omnique praestan-
27. tia aequiparari possit, nedum qui eum superet. Legum
gnarus est, stans promissis, honestus, benignus, tum mi-
tis, tum propositi tenax, bene factorum memor, affectuum
28. suorum coërcitor; cultor Brachmanum grandaevorum libris
sacris eruditorum: unde incomparabilis ei laus, fama ac
29. splendor accrescit. Invictus ille in proeliis contra Superos,
Titanas hominesque, omni telorum genere, quibus tum coe-
lites, tum mortales uti consueverunt, tractando excellit.
30. Quando ad bellum proficiscitur, aut pagi aut oppidi occu-
pandi caussa, Sumitride comitante, nunquam revertitur nisi
31. post victoriam reportatam. Deinde a bello redux elephanto
vel curru vectus, cives tanquam cognatos suos semper
32. sedulo interrogat, num salvi sint ipsi, tum circa liberos,
ignium sacrorum cultum, coniuges, famulorum discipulo-
rumque greges: quomodo se habeant in universum ac
33. singulatim, sicuti pater erga filios naturales animatus. Ca-
lamitatibus publicis vehementer is dolet, et cunctis fe-
34. stis diebus tanquam parens populi delectatur. Dilectus
ille puer fausta sorte a te, Raghuide, est generatus, fausta

Digitized by Google

sorte pietatis officia edoctus, sicuti Marîchides Ca-
syapus. Robur, sanitatem aevumque diuturnum Râmae 35.
sapienti precatur populus universus usque ad regni fines
pariter atque in urbe regia. Cives ac rustici, tum do- 36.
mestici, tum exteri, feminae quoque, matronae pariter
ac puellae, vesperi, mane, omnibus Diis sedulo suppli- 37.
cant pro Râmae bene animati salute. Horum desiderium,
domine, favore tuo expleatur. Râmam, loti caerulei in- 38.
star fuscum, omnium hostium interfectorem videamus,
utinam, imperii participem factum, tuum, rex optime,
filium.

Hunc ex te genitum, domine, deorum similem, uni- 39.
versi mundi saluti studentem, generosae indolis, in gra-
tiam nostram protinus feliciter inaugurare, te, bonorum
largitor, decet.

CAPUT III.

Dasarathae praecepta.

Quorum supplicationi per manus protensas signifi- 1.
catae annuens rex, sermonem gratum et benignum iis
rettulit. Euge! summopere laetus sum, et incompara- 2.
bile maiestatis incrementum inde capio, quod filium
meum natu maximum in imperium cooptari vos cupitis.
Hunc in modum assensus iis, deinde ad Brachmanas, 3.
Vasishtham Vamadêvumque, conversus, ita ut ceteri quo-
que audire possent, edixit: Hic mensis Chaitrus est fau- 4.
stus, amoenus, florescentibus silvis; ad inaugurationem
Râmae cuncta rite apparantor. At regis voce vixdum 5.

Digitized by Google

cessante, ingens undique redditus est sonor, gaudio ex-
6. citus, civium, Bene! Pulcre! clamantium. Paullatim se-
dato concionis tumultu, princeps Vasishtham ascetarum
7. praestantissimum talibus affatur: Ad consecrationem Râ-
mae quodcunque solenne est, cum omni sacrorum supel-
8. lectili, id hodie, vir sancte, ordinare te oportet. Iussu
terrarum domini accepto, Vasishthas bis natorum prae-
stantissimus, ministris ad nutum promptis, qui coram rege
9. reverenter adstabant, haec mandavit: Ornatum aureum
gemmeumque, dapes diis offerendas, denas quoque aro-
matum species, candidas florum corollas, tosta oryzae
grana, separatimque mel ac pinguedinem ex lacte cliqua-
10. tam, vestes nondum gestatas, currumque pompis festis
destinatum, nec non delectas ab omni ordine armatorum
11. copias, elephantumque faustis notis insignitum; duo fla-
bella alba, vexillum et umbraculum candidum; centenos-
12. que urceos aureos ignis instar fulgentes, taurum cornua
inauratum et tigridis vellus: *haec singula, inquam*, cras
mane circa sacellum, quo regi ignis perpetuus fovetur,
13. statuenda curatote. Aulae regalis totiusque urbis por-
tae sertis santalinis, ac suffimentis odoratis cohonc-
14. stantor. Cibi exquisiti et salubres, coagulum lacte dulci
irroratum, quod commode centenis bis natorum milli-
15. bus satiandis sufficiat, *suppeditare oportet*. Cras mane
comiter distribuuntor tosta oryzae grana, pinguedo e
lacte puro secreta, et coagulum, nec non dona hono-
16. rifica. Quamprimum sol crastinus surrexerit, vota so-
lennia nuncupabuntur. Invitantor itaque Brachmanae
17. ac sedilia iis parantor. Porro symphoniaci omnes, ac
saltatrices eleganter vestitae, in aula secunda domus re-
18. giae consistant. Circa templa et arbores sacras singulatim
apponendi sunt coronarum cumuli, edulia et dona sacrificis

Digitized by Google

destinata. Bellatores longis ensibus cincti, tegmina scortea 19.
in brachio laevo gestantes, armis instructi, veste nitente
induti, in splendidissimum magni regis atrium ingrediantur. Hunc in modum duo isti sacrorum antistites *(Va-* 20.
sishthas et Vâmadêvus) iussa effati ministris ad talia officia promptis, accedentes ad terrae dominum, rem peractam esse ei nuntiavere. Deinde rex Sumantram ad se 21.
evocatum his verbis compellat: Modestus Râmas a te,
vir eximie, cito adducatur. At auriga, id ex regis man- 22.
dato curatum iri pollicitus, curru advexit Râmam, praecellentem inter heroas curru vehi solitos. Interim prin- 23.
cipes ibi assidentes, orientales, septentrionales, occidentales et australes, tum barbari, tum ARII [1]), et si qui 24.
alii, silvarum montiumque accolae, cuncti venerati sunt

1) Vocabulum hoc, *ârya*, ex adiectivo, quicquid honestum est ac laudabile significante, abiit in nomen generale Indorum, quo sensu positum complectitur omnes populos qui secundum disciplinam Brachmanum vitam degunt, eosdemque cum his deos colunt. Opponuntur Ariis *mléchha*, i. e. barbari, homines a tali vitae cultu alieni. Non tamen qui hic memorantur barbari extra Indiam sunt quaerendi: exstant enim et hodie intra Indiae fines, praesertim in montanis, et exstiterunt olim multo plures eiusmodi nationes, stirpe ac lingua ab Indis genuinis diversae. Neve quis miretur, regulos profanos a Dasaratha invitatos fuisse: etenim nunc non agitur duntaxat de sacris faciundis, sed de ordinando per heredis cooptationem imperio, cuius summam auctoritatem penes regem Ayodhyae fuisse longe lateque ultra Cosalorum fines statuit poëta. Secundus Râmeïdos liber exemplum exhibet in Guho venatorum regulo, Cosalis finitimo. — De antiquissimo Ariorum nomine, olim Persis cum Indis communi, conferantur quae disputavi in libello: *Réflexions sur l'étude des langues Asiatiques*, pag. 70.

Digitized by Google

regem Dasaratham, sicuti Coelites Vâsavum venerari solent.
25. His circumdatus rex sapiens perinde ac Vâsavus Ventis, in podio sedens curru vectum filium suum vidit ad-
26. ventantem, Fidicinum coelestium regi similem, fortitudine sua per orbem terrarum celebratum, validis lacertis prae-
27. ditum, elephanti libidine incensi instar gradientem, ore purpureo, Râmam visu valde amabilem, forma, nobilitate ingenuaque indole hominum oculos animosque ad se ra-
28. pientem, recreantem corda animantium sicuti divus Imber nimio calore languentes reficit: hunc talem acce-
29. dentem tuendo rex mentem expleri nequibat. At Sumantras Raghuidem ab excelso curru desilientem sublevavit, atque ad patris praesentiam progressum reverenter
30. subsecutus est. Protinus Raghuides heros, auriga comitante, podium cacumini montis Cailâsi comparabile ascen-
31. dit ad patrem visendum. Tum coram patre consistens protensis manibus inclinatoque corpore, dum nomen suum
32. clara voce pronunciabat [2]), pedes genitoris adoravit. Rex conspicatus lateri suo palmis cavis inter se iunctis adstantem, manu eius prehensa attractum ad se carum na-
33. tum amplexatus est. Assignavit deinde Râmae praestantissimum sedile, iam antea paratum, gemmis auroque;
34. ut decebat, condecoratum. Solium hoc a se insessum Raghuides illuminavit splendore suo, sicuti sol oriens
35. puro iubare montem Mêrum. Claritudine eius inde diffusa effulsit aula quoque universa sicuti luna oriente coe-

2) Erat hoc observantiae indicium, quod negligere non licebat filiis, discipulis, adolescentibus, patres, magistros, senes, omnes denique in potiore honoris gradu collocatos adeuntibus. Morem fuisse antiquissimum, patet ex *Manûs* praecepto, ad discipulum et magistri uxorem spectante. II, 216.

Digitized by Google

lum autumnale planetis atque asterismis nulla nebula ob-
scuratis cinctum. Hunc natum dilectum, quasi semet 36.
ipsum ornatiorem in speculi plano effictum, intuens prin-
ceps magnopere delectabatur. Tum genitor praestantis- 37.
sima prole beatus cum risu benigno hisce affatus est
filium veluti Casyapus deorum principem. Tu, o Râma, 38.
ex coniuge primaria, pari connubio mecum iuncta, gene-
ratus, par mihi nobilitate, virtute perinde eminens, di-
lectissimus filius exstitisti. Quandoquidem tu virtutibus 39.
insitis hosce subditos meos tibi conciliasti, hanc ob caus-
sam, quamprimum luna asterismum PUSHIUM intraverit,
cooptationem in imperium adipiscere. Facile credo, te 40.
indolis tuae impulsu modestum ac probum esse: attamen
vel probo tibi pro caritate erga te, mi fili, consilium
salutare eloquar. In posterum quoque modestiae sis 41.
studiosus, ac semper sensuum tuorum coërcitor; remove
a te perturbationes istas, quae libidine et ira cientur.
Tum in secretis, tum in conspectu publico ita versare, 42.
ut civium omnium, primoque loco ministrorum tuorum,
affectum tibi concilies. Qui princeps, multis copiis in 43.
aeraria sua atque armamentaria congestis, subditos ha-
bens contentos et probe affectos, imperium tuetur, huius 44.
amici gaudent, sicuti olim Dii ambrosiam nacti. Qua-
propter, mi fili, temet ipsum coërcendo mores tuos
compone. Tali sermone audito Râmae familiares, grati- 45.
ficari ei cupientes, festinanter Causaliam adiere, ut illico
rei certiorem facerent. Haec autem, femina praestantis- 46.
sima, aurum, bovesque, variasque res pretiosas grati
eventus nuntiis distribui iussit. Tum Raghuides, regem 47.
veneratus, curru conscenso ad aedes suas splendidas
rediit, a populi multitudine plausu exceptus.

Cives quoque percepta principis oratione, quasi do- 48.

Digitized by Google

num optatum nacti forent, rege salutato, domum quisque suam reversi sunt, et summa laetitia elati, Diis solennes supplicationes habuere.

CAPUT IV.

RAMAS AD IMPERIUM SUSCIPIENDUM DENUO SOLLICITATUS.

1. Post solutam civium concionem, rex porro cum ministris consilio habito, deliberandi gnarus hoc decretum
2. edidit: Cras luna asterismum PUSHIUM intrabit, cras filius meus Râmas, loti folia oculis referens, tanquam consors
3. imperii aqua lustrali consecrator. Deinde in domus regiae interiora secedens rex Dasarathas aurigae manda-
4. vit, ut Râmam denuo ad se arcesseret. Sumantras promptus ad iussa capessenda, festinans Râmae domum denuo
5. adiit, inde eum secum adducturus. Cuius adventus a portae custodibus Râmae nuntiatus est, et re comperta
6. eidem dubitatio iniecta. Itaque celeriter intro ad se perductum hisce affatur: Quid sit negotii, cur tu altera vice
7. me conveneris, id mihi accurate declara. Huic respondit auriga: Rex te apud se visere cupit. Re cognita, penes te arbitrium esto, utrum eum adire velis, nec ne.
8. Aurigae sermone audito Râmas ultro festinans ad aulam regalem profectus est, ut regem denuo inviseret. Quam-
9. primum Dasarathas compererat Râmam advenisse, eum introduci iussit, animum amantissimum significare cu-
10. piens. Faustus Raghuides intrato patris cubiculo, eminus

Digitized by Google

cum conspiciens iunctis manibus adoravit. Quem in- 11.
clinatum terrae dominus erexit atque amplexu fovit;
deinde pulcrum sedile occupandum ei commonstrans,
denuo infit: Senio sum confectus, o Râma, grandaevus; 12.
satiatus fui vitae commodis, prout libebat; celebravi quo-
que plus quam centena sacra publica congiariis et ampla
largitione sacerdotibus facta insignia; generavi prolem mihi 13.
optatam, teque per orbem terrarum incomparabilem;
exsolvi debita Divis, antiquis Vatibus, Progenitoribus,
Brachmanis, mihimet ipsi denique: nihil iam superat, 14.
quod a me sit peragendum, praeter tuam consecratio-
nem. Itaque quod ego te hortabor, id sedulo servare
te oportet. Hodie omnes subditi te sibi dominum expe- 15.
tunt, ideo te consortem imperii consecrabo, mi filiole.
Hodieque adhuc, o Râma, cerno somnia infausti ominis, 16.
terrifica; praecipitantque ex aethere cum ingenti fragore
faces vulcaniae procella praeeunte; nuntiantque mihi 17.
astrologi sidus meum lunare obstrui a planetis formido-
losis, Sole, Marte Draconisque capite [1]). Talibus por- 18.
tentis ingruentibus plerumque rex aut mortem occumbit,
aut in saevam incidit calamitatem. Quapropter, dum 19.

---

1) Draconis caput (*râhu*) et Draconis cauda (*Kétu*) apud Indos planetis loco octavo ac nono adnumerantur, quia nimirum, etiamsi visu haud percipiendi, proprium habent motum. Sunt autem bina puncta, in quibus orbita lunae eclipticen secat, ab astronomis nostris *nodus ascendens* ac *descendens* dicta. Sol per se pro infausto sidere haberi nequit. Apparet inde Dasaratham loqui de solis defectu, qui paullo ante in coitu lunae cum ipsius astro natali (*naxatra*) inciderat, aut brevi exspectabatur. Quod astrum quale fuerit, ignoramus. Mars apud omnes fere populos, qui astrologiae aliquid operae impenderunt, luctuosis ominibus fuit infamis.

Digitized by Google

mens mea nondum titubat, o Raghuide, iamdudum tu
es consecrandus. Sane mutabilis est mortalium voluntas.
20. Hodie luna accessit ad asterismum PUNARVASUM, qui PU-
SHIUM proxime praecedit: cras coniunctionem cum PU-
SHIO astrologi fatorum gnari certissime declarabunt 2).
21. Sub eodem asterismo tu es consecrandus: mens prae-
saga ad festinandum me impellit. Cras ego te conse-
crabo ad consortium imperii, o hostium profligator.
22. Quam ob caussam, a praesenti inde momento, nox inse-
quens tibi animo composito cum coniuge tua in verbe-
23. nae strato cubanti ieiunio est pervigilanda. Amici quo-
que in hoc unum intenti hodie undique te custodiunto:
etenim multis impedimentis eiusmodi negotia sunt obnoxia.
24. Interim dum adhuc Bharatas longe remotus ab hac urbe
moratur, per hoc ipsum temporis intervallum opportuna
25. mihi inauguratio tua visa est. Fortasse quidem frater tuus
Bharatas in honestorum moribus perseverat, officiosus
erga fratrem natu maximum, iustus, mitis, temperans:
26. attamen sensus hominum est instabilis, sic persuasum
habeo, et honestorum in officio permanentium animus
27. ipsis factis demum clarescit. Ita compellatus Râmas,
hisque verbis dimissus: »Abi, atque inaugurationi cras
certo futurae te para;« patrem veneratus domum rediit.
28. Vix autem intratis aedibus post patris decretum de in-
auguratione, eodem temporis momento egressus ad ma-
29. tris gynaeceum se contulit. Ibi conspexit genitricem
linea veste indutam, prostratam in deorum sacello, voce
30. compressa felicem eventum deprecantem. Iam antea
eodem advenerat Sumitra, pariterque Laxmanus; Sîta

2) Quae adnotanda erant ad hunc locum, reieci in *Excursum* ad calcem huius capitis.

Digitized by Google

quoque arcessita, comperto grato nuntio de Râmae in-
auguratione. Interea vero Causalia perstabat semiclusis 31.
palpebris, circumsessa a Sumitra, Sîta et Laxmano; com-
perto, filii consecrationem ad consortium imperii in diem 32.
lunarem Pushium esse praestitutam, intus retento spiritu
meditabatur Summum Genium mortalium votis expetitum.
Tali modo precationi intentam matrem adiit Râmas, sa- 33.
lutatamque gaudio affecturus hisce affatur: Mamma, dela- 34.
tum a patre mihi est munus populi regendi. Cras fiet
consecratio mea, prout nimirum pater decrevit. Porro 35.
autem nox haec proxima mihi pariterque Sîtae in ieiunio
est peragenda: sic me admonuit pater simul cum sacro-
rum praesule religionumque magistris. Quaecunque vota 36.
sunt idonea ad cras futuram consecrationem, ea singula
tu hodie pro me ac puella Vidêhana nuncupanda cura.
Causalia, cognito eventu, quem ex longo inde tempore 37.
optaverat, fracta vocem lacrimis prae gaudio obortis,
hisce verbis Râmam affatur: Dulcissime Râma, diu vivas! 38.
pessum eant insidiatores tui! Cognatos meos Sumitrae-
que, florentem Fortunam nactus, laetitia expleas. Nae! 39.
tu sub sidere fausto ex me genitus fuisti, filiole, utpote
qui virtutibus tuis patris Dasarathae gratiam inieris! Nae! 40.
ego haud incassum utero laboravi, enixa puerum loti
folia oculis referentem, qualis regia Ixvâcuidarum Sors
se tibi insinuabit! Hunc in modum compellatus a matre 41.
Râmas, conversus ad fratrem, iunctis manibus submisse
assidentem, cum leni risu eum adspiciens, Laxmane, 42.
inquit, tu mecum coniunctim hanc terram imperio rege!
Te, alteram animam meam, perinde ac me bona haec
Fortuna attingit. Fruere tu, Sumitride, lautitiis exopta- 43.
tis imperiique commodis! Vel ipsam vitam imperiumque
tui modo gratia appeto. Ita allocutus Laxmanum Râmas, 44.

Digitized by Google

salutata utraque matre, *(Causalia ac Sumitra)* hortatus Sîtam, ut secum discederet, domum suam reversus est.

EXCURSUS

ad L. II, cap. IV, 20.

DE RATIONIBUS ASTROLOGICIS RERUM GESTARUM.

Punarvasu est septima inter domos lunares, cui Aditis, mater deorum, praeesse credebatur. Sub hoc ipso asterismo, et quidem nono die mensis *Chaitri* Râmam natum esse vidimus. Cf. Lib. I, cap. XI, 1. et quae ibi adnotavimus. Paullo ante (Lib. II, cap. III, 4.) memoraverat Dasarathas, mensem Chaitrum iam advenisse, quo silvae florescant. Quae si inter se comparentur, nemini dubium fore arbitror, quin poëta significare voluerit, quae nunc narrantur, ipso Râmae die natali esse peracta, utpote quem diem pater tanquam felicissimum ad cooptationem filii elegerat. Quot annos tunc natus fuerit adolescens, id quidem diserte non declaratur, sed probabilibus argumentis eo deducimur, ut statuamus, Râmam pridie huius diei annum aetatis sextum decimum explevisse. Etenim Visvamitrae, eum comitem sibi poscenti, excusat Dasarathas filium, ut puerum, nondum sedecim annos natum. (Lib. I, cap. XXII, 2.) Potest hoc ita intelligi, ut vix annum quintum decimum egressus fuerit. A profectione cum Visvâmitra usque ad nuptias reditumque non plus uno mense paucis diebus adiectis absumitur. Temporis rationem exposui in adnotatis ad Lib. I, cap. L, 22, et cap. LXIX, 12. Narratur deinde (Lib. I, cap. LXXVII, 25.) Râmam νεόγαμον cum Sîta per plures anni tempestates, quas Indi sex numerant, singulas

Digitized by Google

binos modo menses complectentes, amori indulsisse: quibus verbis brevius annuo spatium innui videtur.

Obiiciat forte aliquis, fieri potuisse, ut hoc anno qui dies mensis Chaitri nonus numerabatur, coëunte simul luna cum septimo asterismo, tamen non incideret in verum Râmae natalem, si ad solis cursum is exigeretur; Indos enim iuxta lunae curriculum menses dimetiri consuevisse, interluniis a se invicem disterminatos; talibus vero mensibus duodecim synodicis ad explendum anni solaris spatium undecim fere dies deesse. Id quidem verum est: intercalandi subinde erant mensus, ut annus lunaris cum tropicis solis stationibus, aequinoctiis ac solstitiis, quodammodo congrueret. Inde inventi sunt cycli, quorum antiquissimum, cuius vestigia in Vedis deprehenduntur, quinquennalem fuisse vir summus Colebrookius affirmat. (MISCELLANEOUS ESSAYS, *Vol. I. On the Védas*, p. 106, 107.) Ponamus, ea aetate, qua Râmeis componebatur, Indos octaëteride usos fuisse: iam patebit, post bis octonos annos revolutos, tramitem solis per signa Zodiaci, lunaeque cursum menstruum, inter se comparatos, ab eodem exordio denuo processisse. Sic obviam itur isti dubitationi; neque haec mera est coniectura: nam et hoc tangit poëta, mentione de signo Cancri iniecta, Lib. II, c. XV, 3.

Porro asterismus Pushius Punarvasum proxime excipit. Huius coniunctio cum luna fausta visa fuerat Dasarathae, tum propter splendorem, quem cum iuvenili Râmae venustate comparat (Lib. II, cap. II, 10.), tum fortasse, quia stellae huius asterismi, tres numero, sagittae effigiem exhibent: Râmas nimirum inter omnes heroas sagittandi arte excelluisse traditur.

In hunc igitur diem, postridie diei natalis, principis cooptati consecratio apparatur. At interim, nocte ingruente, regis consilia evertuntur; quae certissima visa fuerant, ita ut paene pro iam gestis haberentur, in irritum cadunt: novercae insidiis Râmas in exsilium pellitur, Bharatas contra regni heres designatur. Nunc meminerimus, Bharatam, fratrem natu minorem, alio quidem mense, sed sub octava domo lunari natum esse. (Lib. I, cap. IX, 8.) Hoc die fatali Râmae for-

Digitized by Google

tuna, et iure, et patris voluntate, populique universi consensu potioris, ab astro Bharatae natali superatur. Haec reputantes, iam non amplius mirabimur huius sideris nomen toties repetitum. (Cap. IV, 2. 20. 32. 39. VII, 10. VIII, 9. XIV, 40. XV, 3.) Ex toto narrationis tenore colligitur, quantum ponderis astrologicis rationibus tribuerit poëta, et quam probe memor fuerit eorum, quae de natalibus fratrum praedicaverat in libri primi capite undevigesimo. Ad eum locum breviter monui, censores Bengalicos disticha aliquot, quibus coeli aspectus et tempus natalium accurate definitur, eiecisse. At nunc demum intelligent lectores, quanto cum damno perspicuitatis, ingeniosae concinnitatis et convenientiae partium carminis hoc factum sit. In hisce quoque capitibus, de quibus nunc agimus, iidem censores haud pauca aut mutarunt aut sustulerunt; parum tamen sibi constantes, Chaitrum mensem et Pushium sidus identidem memoratum loco non moverunt: quae, omissis prioribus, non habent, quo referantur. Praeterea huius sectae codices magnopere variant, e contrario qui commentatorum lectionem exhibent, ad verbum inter se conspirant.

CAPUT V.

RAMAE IEIUNIUM ORDINATUM.

1. Rex, postquam Râmam edocuerat de cras futura consecratione, magistrum religionum Vasishtham ad se
2. evocatum talibus affatur: Vade age, sanctissime, iam nunc ordina pio Cacusthidae ieiunium pro ipsius salute atque
3. imperio adipiscendo cum uxore servandum. Annuens hac de re principi venerabilis Vasishthas, voluminum sacrorum peritissimus, ipse ad Râmae habitationem profe-

Digitized by Google

ctus est. Ut de ieiunio rite instituendo ipse carminum 4.
solennium gnarus iuvenem eorundem non ignarum edo-
ceret, sacerdotale carpentum bubus iunctum insedit au-
sterus ille asceta. Postquam pervenerat ad Râmae aedes, 5.
albicantium nubium instar splendentes, tres aulas perve-
ctus est vates praestantissimus. At Râmas, comperto, 6.
Sapientem advenisse, prae commotione animi festinus e
domo procurrere, honoraturus honoribus dignum. De- 7.
inde properanter carpento assistens ipse senem ample-
xatus in descensu sublevavit. Iste vero, religionum ma- 8.
gister, perspecta adolescentis modestia blando alloquio
consalutavit Râmam, et exhilaraturus gratissima quaeque
merentem talia fatur: Propitius tibi est pater, o Râma: 9.
imperii consortium adepturus es; hodie autem cum Sîta
consociatus ieiunium servare velis. Crastino mane uti- 10.
que pater tuus, rex Dasarathas, te ad consortium im-
perii consecrabit caritate permotus, sicuti olim Yayâtem
Nahushas. Ita fatus carminum solennium gnarus vates 11.
Râmae temperantis ac Vidêhanae consortis ieiunium or-
dinavit. Deinde a Râma, prout decebat, honorifice ha- 12.
bitus regis magister, dimisso Cacutsthide, ab eius domo
regressus est. At Râmas aliquamdiu a familiaribus blan- 13.
diloquis circumsessus, cunctos dimisit et cubiculum in-
travit. Tunc Râmae domus laetis famulis famulabusque 14.
frequens adspicienda erat, qualis lacus loti calyces ex-
pandens lascivis avibus circumvolitatus. Vasishthas autem 15.
egressus ex Râmae aedibus, quae domum regalem aemu-
labantur, conspexit viam ambulantibus confertam. Ubi- 16.
que in urbe Ayôdhya plateae ampliores paene imperviae
erant, catervatim conglobata plebe visendi cupida ob-
structae. Qualis oceani erat strepitus viae regiae ex flu- 17.
ctibus multitudinis inter se collisis, laetisque vocibus

Digitized by Google

18. concitus. Hoc die vicis tersis et aqua irroratis tota urbs
sertis florum silvestrium, vexillisque e domuum fastigio
19. sublatis erat ornata. Tum plebs urbana cum agmine
muliebri ac puerili, Râmae consecrationem optans, solis
20. ortum anxie exspectabat. Vulgus impatiens erat videndi
magnum in urbe Ayôdhya festum publico cultu celebra-
21. tum, civiumque felicitatem aucturum. Per plateam tanta
frequentia coarctatam sacrorum antistes, in duas quasi
acies dispertiens turbam, sensim ad domum regiam pro-
22. gressus est. Conscenso fastigio nubi in aethere suspen-
sae simili, accessit ad principem tanquam Vrihaspates
23. ad SACRUM *(Indram)*. Rex adventantem quamprimum
conspexit, solio relicto percunctatur, ille vero rem per-
24. actam ei nuntiavit. Tum pariter ac princeps aulici ei
assidentes a sedilibus suis surrexere, ut antistitem sacro-
25. rum venerarentur. Rex autem discessurus a magistro
salutatus, coetu hominum dimisso in gynaeceum se rece-
pit, tanquam leo in speluncam montanam.

26. In aedes istas, turba muliebri laute vestita frequen-
tes, magni Indrae arci comparabiles, intravit rex, tam
clare eas illuminaturus, quam Lunus polum denso stel-
larum agmine cinctnm.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Festivus urbis ornatus.

Postquam exierat antistes, Râmas lavacro lustratus 1.
composita mente cum coniuge simul Nârâyanum supplex
adiit. Prehensa igitur patera laticis sacri plena, ac rite 2.
supra caput elata, magno Numini litavit pinguedinem
puram igni accenso infusam. Degustavit deinde resi- 3.
duum laticis istius, vota pro felicitate sua nuncupavit,
meditans porro deum Nârâyanum, in lectulo verbenis
bene strato, compressa voce, mente composita, iuxta 4.
puellam Vidêhanam in fausto Vishnûs sacello cubuit
principis filius. At quum una modo vigilia noctis supe- 5.
raret, tum expergefactus ille omnem domus suae orna-
tum solennem ordinavit. Ibi dum auscultat verba bene 6.
auspicata aurigarum, panegyristarum praeconumque, ma-
tutinas religiones diligenter observans, leni murmure pre-
ces recitat inclinato capite, Madhûs interfectorem laudi- 7.
bus extollit, et puram vestem lineam indutus, Brachma-
nas verba solennia praeire iubet. Horum deinde con- 8.
centus faustum diem praenuntians, tum gravis tum dul-
cis, Ayôdhyam personuit organorum musicorum strepitu
repetitus. Comperto, Raghuidem cum puella Vidêhana 9.
in ieiunio pernoctasse, cuncti urbis incolae gaudio affecti
sunt. Tum cives, Râmae consecrationem exspectantes, 10.
quum noctem luci iam cedentem cernerent, operam po-
suere in urbe splendide ornanda. E templorum fasti- 11.
giis nubium candidarum instar excelsis, in compitis, pla-
teis, ficis religiosis, turribusque, in mercatorum foris 12.
variarum mercium copia affluentibus, ex divitum patrum-

Digitized by Google

13. familias magnificis aedibus, circa omnes areas arborum-
que ordines, extollebantur vexilla picta, ac taeniae per-
14. ticis innexae. A mimorum ac saltatorum gregibus, can-
toribusque cantantibus undique audiebantur voces animis
15. auribusque iucundae. Interim cives, imo vel pueruli
ante aedium fores catervatim ludentes, mutuos inter se
sermones serere, cum Râmae consecratione coniunctos.
16. Via regia, civium studio floribus conspersa ac ture in-
censo suffita, festum aspectum exhibebat in consecratio-
17. nis honorem. Nocti venturae prospicientes, ut tenebras
illuminarent, ad platearum margines erexerant lychnu-
18. chos arborum specie. [1]) Ita perfecto urbis ornatu eius
incolae, exspectantes Râmae consecrationem ad consortium
19. imperii, frequentes congredi ad xystos areasque, ibique
confabulantes dominum laudibus extollere. »Euge! quam
20. »magnanimus est rex hicce, Ixvâcuidarum stirpis ampli-
»ficator, qui semet senio confectum intelligens, Râmam
21. »in imperium est cooptaturus. Nos omnes incrementum
»inde capimus, quod Râmas, rex noster creatus, per
22. »longum aevum nos tuebitur; rerum humanarum discri-
»mina perspiciens, neutiquam superbia inflatus, prudens,
»pius, fratres caritate amplectens; et sicuti erga fratres
»benignus, perinde etiam erga nos animatus est Raghuides.
23. »Diu utinam vivat Dasarathas, rex pius vitaeque integer,
24. »cuius favore Râmam consecratum videbimus!« — Talia

---

1) Notatione dignum est, hunc morem festum aliquod lucernis sub dio accensis celebrandi, λυχνοκαΐαν, Indis pariter et Aegyptiis tam antiquis temporibus usitatum fuisse. Cf. HERODOT. II, 62. Satis affabre factus autem apparatus urbis Ayôdhyae illuminandae fuisse videtur, siquidem poëta lychnuchos cum arboribus comparat.

Digitized by Google

garrientem plebem urbanam audiebant homines rusticani,
qui rei fama accepta undecunque convenerant. [Etenim 25.
ruris incolae Râmae consecrationem visendi cupidi, ex
tota vicinia adventantes urbem opplebant.] [2]) Hisce ho- 26.
minum globis huc illuc vagantium fragor excitabatur, qua-
lis est, aestu per interlunia intumescente, mugientis oceani.

Tunc urbs illa Indrae regiam aemulans, undique 27.
frequentata a rusticis visendi cupidis, fremitu strepens,
referebat pelagi aequor bestiis aquatilibus transnatatum.

CAPUT VII.

Manthârae lamentatio.

Ancilla quaedam verna, quae a natalibus inde apud 1.
Caccеïdem commorata fuerat, forte ascendit sua sponte
solarium lunae instar splendidum. Inde Manthara pro- 2.
spectabat totam urbem Ayôdhyam, irroratis plateis et
sparsis florum cumulis, nec non sumptuosis taeniis ve- 3.
xillisque ornatam, tectis angiportis, et fortuitis tramitibus
perviam, aquis odoratis conspersam, plenam hominum 4.
capite delibuto nitentium, concelebratam viris bis natis,
qui corollas ac bellaria manibus gestabant. At Man- 5.

---

2) Uncis inclusi distichon otiosum, importune intrusum, quo nihil aliud continetur nisi repetitio distichi proxime praecedentis. Nostri tamen codices ad commentatorum textum conformati, nullo excepto, id exhibent; idem quoque editores Srîramapurani in suis libris legerunt.

Digitized by Google

thara perlustrans urbem Ayôdhyam dealbatis templorum valvis insignem, variis organis musicis personantem, ad
6. summam admirationem rapta est. Conspicata igitur Râmae nutricem, lumina prae gaudio expansa volventem, candida veste linea indutam, haud procul a se adstan-
7. tem, ad eam conversa, Quaeso, inquit, num forte Râmae mater, quantumvis parcimoniae intenta, eximio quodam
8. voto potita, populo munus largitur? Quid sibi vult, dic mihi, amabo, immodica multitudinis istius exsultatio? Ecquid ipse terrae dominus laetitia affectus festum con-
9. summandum curabit? Nutrix, gaudio summopere elata, narravit protinus ancillae gibberae, [1]) quantam sortitus
10. fuerit Raghuides fortunam. Cras sub asterismo lunari Pushio, ut fertur, rex Dasarathas filium suum Râmam ad
11. consortium imperii consecrabit. Quo nutricis sermone audito gibbera, indignabunda, a solario Cailasi montis
12. fastigium aemulante praecipitanter descendit. Consilia nefaria agitans Manthara ista, ira flagrans, adit Caeceïdem
13. in lecto cubantem, talibusque affatur: Surge, age, demens! quid dormis? Urget te ingens periculum. Nonne
14. temet ipsam scelerum cumulo obrutam sentis? Frustra gloriaris, te apud maritum esse gratiosam, re vera odio habita sub favoris specie. Languet sane gratia tua sicuti
15. amnium decursus per calorem aestivum. At Caeceïs dictis acerbis ita compellata a gibbera furente, consilia nefaria agitante, gravi moerore afflicta ancillae deformi
16. haec regerit: Ecquid, Manthara, infaustum accidit? Etenim cerno te vultu turbatam et vehementer vexatam.

---

1) Ipsum hoc nomen *manthará* significat gibberam. Ab eadem deformitate deductum est nomen proprium testudinis alicuius in fabularum libro.

Digitized by Google

Quo sermone Cacceïdis audito, Manthara oculos prae 17.
ira rubore suffusa, fandi doctissima, talia contra fatur,
gravius aegritudine affectura Caeceïdem, ad scelus ob- 18.
firmata, alienatura dominam a Râma, cuius nimirum
perniciem cupiebat: Magnum sane ac irreparabile 19.
damnum tibi, o domina, paratur: rex Dasarathas Râ-
mam ad consortium imperii consecrare decrevit. En 20.
ego, alto pavore demersa, dolore ac moerore confecta,
incendio quasi flagrans, tuae salutis gratia huc advolavi.
Ex tuo damno mihi quoque ingens damnum exsistet, 21.
similiterque ex incremento tuo incrementum; ne dubita.
Tu, e prosapia regali oriunda, regis es coniux nobilitate 22.
par. Quomodo fit, domina, ut morum regiorum trucu-
lentiam non sentias? Pietatem simulando perfidus est ma- 23.
ritus tuus, et blandiendo atrox. Pro candida indole non
intelligis, te ab illo pessima fraude esse circumventam.
Nuper adhibens tibi blanditias vanas, hodie tamen mari- 24.
tus tuus Causaliam opibus ditabit. Procul ablegato nempe 25.
Bharata ad cognatos tuos, opportune nunc pravus homo
Râmam constituet in imperio aemulorum clade firmato.
Tu hostem sub coniugis specie quasi mater amantissima 26.
tanquam anguem letiferum, o simplex puella, sinu fovisti.
Quale facinus aut serpens aut hostis inobservatus patrare 27.
solet, tale a rege Dasaratha in te filiumque hodie admit-
titur. A scelesto illo perfide blandiente tu, simplex 28.
puella, meliori sorte digna, dum Râmam in imperio con-
stituit, cum prole tua utique es eversa. Tempus oppor- 29.
tunum nacta, Caeceï, saluti tuae prospice. Eripe tot
malis filium, temet ipsam, meque; nec obstupefacta tor-
peas. Audito Mantharae sermone, illa laetitiae plena e 30.
lecto surrexit fronte serenata, sicuti luna crescens tem-
pore autumnali. Summopere nimirum oblectata, novitate 31.

Digitized by Google

rei commota, ancillae gibberae monile aliquod dono de-
32. dit. Quo divite fausti nuntii praemio dato, Caccei's ex-
33. hilarata Mantharam hisce verbis contra affatur: Quem tu mihi narras eventum, Manthara, is mihi est exoptatissimus: quare hocce praemium accipe; aut quid amplius
34. in gratiam tuam faciam? Equidem nullum discrimen dispicio inter Râmam et Bharatam: ideo gratum habeo, quod rex Râmam imperio inaugurare decrevit.

EXCURSUS

ad priora libri secundi capita ab exordio usque ad quintum decimum.

DE

RERUM GESTARUM SERIE AD ORDINEM TEMPORUM EXIGENDA.

Lectori obiter Caput sextum cum sequentibus comparanti tempora confudisse poëta videri possit. Sed si accuratius inspiciamus, patebit, Vâlmîcem ea tantummodo licentia usum esse, quam vel historicis concedimus, quatenus exponenda est res diversis in locis simul gesta, ad cuius eventum plures actores in alterutram partem aliquid conferunt. Solent optimi rerum scriptores continuum narrationis tenorem paullo longius persequi, ne interrumpendo lectorum attentio distrahatur, ac tum demum gradum referre et aliquantum spatii remetiri, ut exhibeant alias dramatis personas, aut novas, aut iam antea in scenam productas, interim in iisdem coeptis aut promovendis aut impediendis occupatas. In Capite sexto nar-

Digitized by Google

rantur nonnulla, quae in noctem mediam inter diem, quo cooptatio publice declarata fuerat, diemque proximum consecrationi destinatum incidunt, vel postridie demum orto iam diluculo geruntur. Pernoctat Râmas in casto iciunio cum Sîta, surgit ante diem, fungitur religionibus matutinis, salutatur more solenni a praeconibus. Colloquium Mantharae vero cum Râmae nutrice habetur non multo post concionem solutam. Adit confestim Manthara dominam in lectulo cubantem, et horis pomeridianis eiusdem diei somno indulgentem. Caeceïs, ancillae furore ad prava consilia instigata, dum advesperascit, *cubiculum offensionis* intrat. Ibi Dasarathas, dimisso tandem post Vasishthae reditum concilio familiarium, eam invisit. Consumitur deinde tota nox in irritis regis conatibus uxorem a scelerato proposito avertendi, donec postero mane Vasishthas Sumantram ad regem in penetralibus regiae nimis diu morantem intro mittit. Itaque non modo nihil turbatum est in rerum serie, sed mirabile poetae artificium deprehenditur in ordinanda narratione, quod, praemissis quaecunque certissimam exspectationem felicis eventus movere poterant, in ultimum locum distulit expositionem fatalis impedimenti, quo subito cuncta evertuntur.

CAPUT VIII.

Mantharae sermo.

Manthara vero dominae succensens monile istud 1.
proiecit, tum ira ac dolore commota talem sermonem
protulit: Cur tam alieno tempore, demens, laetitiam tibi 2.
finxisti? In medio curarum pelago aestuantem temet
ipsa non intelligis? Intus in corde te derideo, do- 3.

Digitized by Google

mina, quamvis ipsa animi aegra, quod de re dolenda
4. gaudes, nacta gravem hancce aerumnam. Doleo socordiam
tuam. Quaenam femina prudens gratuletur sibi principatum
inimici ex alia tori regalis consorte generati, pestis in-
5. star ingruentem? A Bharata, imperii aemulo, Râmae me-
tus obiicitur; id reputans turbata sum: etenim metum
6. struere solet, qui ipse metuit. Laxmanus arcitenens qui-
dem totum se Râmae tradidit; Satrughnas itidem Bhara-
7. tae, perinde ac Laxmanus Cacutsthidae. Quum Bharatas
iure suo potiore proximus sit ad successionem imperii,
o formosa iuvenis, certe succedendi spes longe re-
8. mota est a duobus istis iunioribus [1]). Versatus est Râ-
mas in ordinis militaris artibus, prudens, rerum geren-
darum potens: cuius timore contremisco, quando filium
9. tuum recordor. Gratiosa profecto est Causalia, quippe
cuius filius crastino die Pushio a Brachmanum primori-
10. bus ad magnum imperii consortium consecrabitur. Iam
tu colens Causaliam, opulentissima fortuna potitam, ex-
stinctis inimicis securam, tanquam famula supplicis ha-
11. bitu ei adstabis; pariterque tu nobiscum istius famula

---

1) Intelligendi sunt Sumitridae gemelli, Laxmanus et Satrughnas. Ili quidem re vera aliquanto maiores natu erant Bharata, quo in ordine natalium codices Bengalici cum commentatorum lectione conspirant. (Cf. L. I, c. XIX, 8.) Nihilominus Bharatas potior erat iure, et proximus post Râmam imperii heres. Etenim Sumitridae, quantum ad matrem, parem nobilitatem gloriari non poterant. Sumitra a nonnullis traditur patrem tertii ordinis (*vaiçya*) habuisse. Bengali in sua carminis recensione filiam adoptivam Vâmadêvi, Brachmanae saepius laudati, eam faciunt. In commentatorum Râmeïde hac de re nihil diserte affirmatur.

Digitized by Google

fics, ac filius tuus Râmae servitium subibit. Exsultabit 12.
profecto Râmae coniux, summo loco posita; depressa
vero erit nurus tua in Bharatae aedibus. Vehementer 13.
afflictam videns Mantharam ita verba facientem, domina
Caeceïs Râmae virtutes laudibus extollere. Recti gnarus 14.
est, *inquit*, magistris obtemperans, beneficiorum memor,
veridicus, integer, Râmas regis filius natu maximus: ideo
imperii consortium ei debetur. Fratres ministrosque per 15.
longum vitae aevum paterno animo tuebitur. Quomodo fit,
gibbera, ut tu, comperta consecratione, moerore confi-
ciaris? Bharatas quoque, iuvenis praestantissimus, post 16.
centenos annos Râmae concessos, imperium paternum
atque avitum certo adipiscetur. Tu vero, Manthara, de 17.
fausto successu, qui iam nobis contigit, qui in praesentia
adest et in futurum durabit, quare tam vehementer do-
les? Perinde ac Bharatas magni mihi est aestimandus, 18.
similiter et Raghuides, vel ultra etiam: utpote qui mei
paene observantior sit in omni officio quam ipsius Cau-
saliae. Quod regnum hic occupat Râmas, id nihilo secius 19.
ad Bharatam quoque pertinebit: etenim Raghuides fratres
non alio loco habet, quam semet ipsum. Audito Cae- 20.
ceïdis sermone Manthara vehementer afflicta, alta et ca-
lida suspiria trahens, dominam denuo affatur. Stupore 21.
mentis occaecata ad monita salutaria, non intelligis te
infelicitatis pelago mergi, aerumnarum ac turbarum flu-
ctibus expanso. Rex fit Raghuides, et post eum is, quem 22.
generabit filium; Bharatas vero e propagine regia eiicic-
tur. Non omnes sane regum filii in regno statuuntur, o 23.
formosa iuvenis: si omnes constituerentur, ingens inde
perturbatio oriretur. Quapropter terrarum domini mu- 24.
nera regni et praesidia in filium natu maximum confe-
runt, o formosissima, sive quis probus sit, sive secus.

Digitized by Google

25. Filius iste tuus, patrocinii inops, ultra modum fractus
erit, e deliciis et domo regali eiectus, o pia parens.
26. En! ego in tui gratiam huc properavi: tu vero non me
intelligis, utpote quae pro nuntiato aemulae incremento
27. praemium mihi dare cupias. Râmas, ne dubita, potitus
regno undique munito, Bharatam ad terram alienam ab-
28. legandum curabit, aut forte ad inferos detrudet. Plane
puer Bharatas a te ad avi materni sedem dimissus est;
ex propinquitate autem nascitur necessitudo vel inter
29. muta et inanima. Pro obsequio suo erga Bharatam Sa-
trughnas etiam eodem profectus est; etenim, sicuti Lax-
manus ad Râmam, pariter ille ad Bharatam sese con-
30. vertit. Vulgo fertur fabula de arbore quadam a silvico-
lis proscindenda: eam arundinum ope propter propin-
31. quitatem ab ingenti periculo fuisse liberatam. Sumitri-
des tuebitur Râmam, pariterque Laxmanum Raghuides:
horum fraterna concordia sicuti Asvinum gemellorum per
32. orbem terrarum celebratur. Itaque Râmas contra Lax-
manum nullum scelus perpetrabit; at contra Bharatam
33. tale quid eum admissurum esse, noli dubitare. Quapro-
pter, domina, e tecto regali Raghuides in silvam migret:
hocce consilium mihi perplacet, ac tibi quoque summo-
34. pere erit fructuosum. Quodsi ita fit, commodum inde
in clientium tuorum gregem redundabit, utique si Bha-
35. ratas iure regnum paternum nactus fuerit. Ille tuus puer,
meliori sorte dignus, Râmae hostis congenitus, quomodo,
ipse inops, vivet sub dominatu amplissimis opibus aucti?
36. Quasi elephantum gregis ductorem a leone in silvis op-
pressum, sic proculcatum a Râma Bharatam eripere te
37. oportet. Olim a te gratiosa apud maritum et inde su-
perbiente Râmae mater, aemula tua, despecta, quomodo
fieri potest, quin animum infestum effundat?

Digitized by Google

Quando Râmas orbe terrarum potitus fuerit, tunc 38.
Bharatas certissime funditus evertetur. Ideo molire tu
regnum nato tuo, et alieni istius vel hodie exsilium.

CAPUT IX.

CONSILIUM RAMAE IN EXILIUM PELLENDI.

At Cacceïs ita compellata, ore prae ira flagrante, 1.
alta et calida suspiria trahens, Mantharam talibus affa-
tur: Hodie ego Râmam hinc protinus in silvam abigam, 2.
Bharatamque ad imperii consortium protinus consecran-
dum curabo. Id autem iam dispice, Manthara, quonam 3.
commento effici possit, ut Bharatas, Râmas vero nequa-
quam, regnum nanciscatur. At illa sic admonita a do- 4.
mina, nefaria consilia agitans, Râmae commodis insidiata,
Cacceïdem talibus affatur: Hem! iam primum declarabo; 5.
tu, domina, auscultare velis, quomodo filius tuus Bhara-
tas regnum integrum solus nancisci possit. Quid? nonne 6.
meministi, domina, an bene memor intus abscondis?
Num casum domesticum a te memoratum ex me audire
cupis? Quod si tibi ludibundae libet, rem a me memo- 7.
ratam audire: audiatur! Narrabo. Tum audita perpen-
datur. Olim in bello Deorum Titanumque, cuius socii 8.
fuere reges sapientes, coniux tuus te secum abducta
profectus, ut erat regis Coelitum comes, ingressus est 9.
plagam australem versus Dandacos, ad urbem Vaijayan-
tam, sic appellatam, ubi dominabatur rex balaenam in

Digitized by Google

10. vexillo gestans. Is, proprio nomine Sambarus dictus, innumeris praestigiis fallens, Titan potentissimus, proelium commisit cum Sacro, irreprehensus *(quantum ad*
11. *fortitudinem)* a deorum catervis. Viros in magno hoc proelio levius graviusque vulneratos, noctu sopitos, Gi-
12. gantes isti subito incursantes caedere [1]). Ibi tum rex Dasarathas acri certamine conflixit cum Titanibus, et quanquam validis lacertis praeditus telis eorum est confos-
13. sus. Ibidem maritus tua ope, domina, avectus e praelio, sui non compos ac paene exanimatus, graviterque sau-
14. cius telis, tamen a te servatus est. Tum gratus ille, o venusta, concessit tibi duo munera, qua de re id modo maritum monuisti, ut quandocunque munera tu petitura
15. fores, tunc promissa acciperes, quod vir magnanimus tibi annuit. *Attamen ab eo inde tempore nihil horum*
16. *elegisti.* Equidem per me rei ignara sum, olim a te memoratae: sed secundum amorem meum erga te nar-
17. ratio ista menti infixa haesit. Iam tu posce maritum bina haecce munera: Bharatae consecrationem et Râmae
18. exsilium in annos quatuordecim. Protinus intrato *offensionis cubiculum* [2]) quasi irata, Asvapatis filia; decum-

---

1) Hic erat mos daemonum istorum (*râkshasa*) diis hominibusque saepe infestorum. Nobiles Indiae bellatores tales insidias aspernabantur, neque aliter quam aequo Marte cum hostibus confligere volebant. Cf. quae MANUS bellatoribus praecipit Cap. VII, dist. 92. Vertitur in eadem belli gerendi lege cardo BHARATEAE: postquam Curuidae Pânduidarum milites sopitos obtruncaverant, nulla cum iis pax componi poterat, et res ad bellum internecivum devenit.

2) Discimus hinc morem singularem, fuisse in gynaeceo regio cubiculum aliquod secretum, humile, tenebrico-

Digitized by Google

bito in nudo terrae solo, sordidata amictum. Regem 19.
conspicata, cave ne eum intueris, cave ne eum allo-
quaris: eiulans, humi strata, moerore plane languida.
Tu semper dilectissima coniugis uxor fuisti: hac de re 20.
minime mihi est dubium. Tui gratia magnus rex vel in
ignem accensum se immittat. Non sustinet iram tuam 21.
commovere, nec iratam intueri. Ut tibi gratum faciat,
vel ipsam animam relinquat: haud sane sustinet terrae 22.
dominus dictum tuum transgredi. Intellige tandem, o ni-
mis tardae indolis femina, quantum gratia polleas. Fa- 23.
cile dederit tibi rex Dasarathas gemmas, uniones, aurum,
mundumque varii generis muliebrem: at hisce noli ani-
mum advertere. Quae vero gemina munera tibi conces- 24.
sit Dasarathas, de his eum commoneface: hoc opus, o
favore potens, cave ne te praetereat. At quamprimum 25.
Raghuides de munere annuens ipse te sublevaverit, tu
magnum regem fide data obstrictum poscas hocce mu-
nus: »Râmam exsulatum ablega in silvas, per nòvem an- 26.
»nos, quinque additis; Bharatas, principum per orbem
»terrarum praestantissimus, rex fiat.« Quando nimirum 27.
Râmas in silvis per quatuordecim annos exsulaverit, adulto
iam dominatu, et radicibus actis, postea per se stabit
filius tuus. Opportunum tibi esse regem arbitror: tu 28.
modo verecundia abiecta, a proposito Râmam conse-

---

sum, omni supellectili adeo vacuum, ut ne lectulus quidem aut sella ibi inveniretur, nec pavimentum tapetibus constratum esset. Eo confugere licebat uxoribus pellicibusque regiis, si qua gravem iniuriam sibi illatam queri vellet. Permanet simile quid apud Indos hodiernos: laesi a potentiore, foribus eius assidentes, inedia aliove modo ipsi male se habent, diris quoque adiectis, nisi oppressoris animus flectatur.

Digitized by Google

29. crandi vi cohibitum averte. Tum Caeceïs edocta ab ancilla noxam per commodi speciem, laeta sibique fidens
30. Mantharam talibus affatur: Magni facio prudentiam optimam tuam optima suadentis. Ubique gentium tu inter
31. gibberas excellis consiliis excogitandis. Tu sola rerum mearum semper studiosa es, mihique dedita. Equidem fortasse sine te, gibbera, non intellexissem regis moli-
32. mina. Sunt plerumque gibberi deformes, pravi, omnis malitiae pleni: tu vero, veluti loti flos vento inclinatus,
33. aspectu iucunda. Pectus tuum est bene compactum, humero tenus prominens; venterque infra planus, pulcre
34. umbilicatus et qnasi pudens; femur plenissimum, turgentesque papillae; facies lunae candidae similis: eia,
35. Manthara, quam pulcre nites! Inguen tuum est tersum, cinguli nodis ornatum; crura sunt valde gracilia, et ambo
36. pedes longiusculi. Tu procera femora movens, lineam vestem induta, ante me incedens, tanquam ardea [1]) eni-

---

1) Posui nomen generale pro speciali. Sanscrite: *tittibha*, in genere feminino: *tittibhî*; quam avem lexicographi Angli, praeeunte Colebrookio, *jacanam* sive *parram Goensem* interpretantur: haud scio, an satis accurate. Jacanae pleraeque in regionibus Transatlanticis habitant: plures earum species affert BUFFO, de *Goensi* non disserit. *Jacanam Indicam*, alio nomine fortasse eandem, memoratam video in *Synopsi generali avium* Anglice scripta. (*Supplement.* p. 257.) Sed universae Jacanae traduntur vitam agere in locis paludosis, pratis uvidis, circa stagna lacusque. Inde dubius haereo, quod in lepida quadam *Hitôpadêsi* fabula (Lib. II, Fab. XII. *Ed. Bonn.*) tittibha narratur nidum ad maris littus posuisse, tam prope, ut Oceani fluctibus ova abriperentur. Indorum Aesopus vero nihil fere fingere solet, quin cum animalium indole conveniat. Quicquid sit, hoc modo teneamus, tittibham esse ex numerosa gente

Digitized by Google

tes. Quae Sambaro Titanum regi inerant praestigiae 37.
multiplices, cordi tuo ingenitae sunt, aliaeque insuper
ad multa millia. Qui gibbus clivi cacuminati specie a 38.
dorso tibi prominet, o venusta, in eo versantur consilia
artesque nobilium bellatorum fallaciaeque; super eum 39.
suspendam tibi torquem aureum Bharata consecrato et
Râma in silvam profecto; quo auro puro, diligenter ex- 40.
cocto, ego voti compos atque in posterum secura, gibbum
tuum condecorabo. Ad faciem ornandam insigne fron- 41.
tale aureum, splendidum, affabre excudendum tibi cu-
rabo, gibbera, splendidasque munditias. Binis vestibus 42.
nitidis amicta ambulabis tanquam Diva, ore tuo incom-
parabili lunam quasi ad certamen provocans. Unguium 43.
acie tenus uncta *santalio* odorato in fronte familiae in-
cedes, spernens invidos ac malevolos. Ita collaudata 44.
ancilla Caeceïdem in candido lecto cubantem, tanquam
ignem in ara emicantem, talia monuit: Aquis dilapsis 45.

---

grallatorum (Gallice: *échassiers.*) i. e. avium quasi grallis cruribus gracillimis incedentium, longis quoque digitis unguibusque munitarum. Tradunt Indi, tonitrubus ingruentibus tittibham supinam recumbere, protensis in altum cruribus, ut coelum fulciat, si quando fractum illabatur. — Norat callida Caeceïs, nullam feminam esse adeo deformem, cui non placeat laus venustatis et illecebrarum muliebrium ipsi impertita. Comparat itaque Mantharam cum ave eleganti, quae crura gracilia habet, corpus in breve spatium contractum, collum procerum quidem, sed ita reflexum, ut caput humeris incumbere videatur, qualis esse solet statura hominum distortorum. Procacitas quoque, qua Manthara eminebat, tribuitur tittibhae, utpote quae in fabula supra laudata, quantumvis debilis, Oceanum ad certamen provocat.

Digitized by Google

demum pontem iungere, o pulcra, nihil attinet. Surge age! faustum molimen perfice; fac ut rex te visendam
46. anquirat. Ita instigata regina, grandibus oculis decora, cum Manthara simul cubiculum offensionis intravit, gra-
47. tiae suae fastu superbiens. Ibi mulier formosa monile innumeris margaritis consertum, nec non reliqua magni
48. pretii ornamenta proiecit, deinde, prompta gibberae dicta peragere, nymphae coelesti similis humi procubuit, Man-
49. tharamque talibus affatur: Aut hic me mortuam esse, gibbera, regi nuntiabis, aut Raghuide silvam sortito Bha-
50. ratas regnum sortietur. Non opus mihi est auro, neque gemmis, nec deliciis: is vitae mihi finis erit, si Râmas consecratur.

51. Hunc in modum graviter saucia regina, ab ancilla gibbera crebris dictorum sagittis percussa, manibus cordi impositis, plane attonita, irae plena, identidem Mantha-
52. ram compellans, Aut hinc, inquit, ad Yami sedes me migrasse, quamprimum cognoveris, nuntiabis; aut Raghuide per longum tempus in silvam ablegato, Bharatas
53. omnium optatorum compos fiet. Egomet non toros pulvinaribus stratos, non corollas, non santalii pulverem, non unguenta sorbitionesve cupediasve, neque quidpiam cupio, nec denique ipsam vitam, nisi hinc in silvam
54. migret Raghuides. Tali modo profata dictum atrox, proiectis omnibus ornamentis, femina vehementer commota terrae solum nulla culcita tectum corpore pressit, veluti
55. Cinnaris ex aethere delapsa. Vultum obnubilata furore aestuante, dissipatis pulcris sertis ornamentisque coniux regalis sine naevo formosa talis fuit, qualis esse solet polus tenebris obvolutus, stellis plane exstinctis.

Digitized by Google

CAPUT X.

Dasarathae sermo.

[»Ubi primum prave edocta regina fuerat a gib- 1.
»bera scelcratissima, illico humi decumbit, ceu elephas
»femina telo venenato saucia. Ausis mente probe per- 2.
»pensis, ut ipsi videbatur, mulier callida et cupida Man-
»tharae sensim cuncta exposuit. Misera illa, consilio 3.
»capto, Mantharae dictis infatuata, paulisper secum re-
»putavit viam commodis suis idoneam. Ancilla autem, 4.
»tum dominae dedita, tum lucri avida, certior facta de
»sententia deliberata, admodum laeta fuit, quasi opere
»iam peracto. At regina, furore incensa, post sententiam 5.
»plane deliberatam, languida humi se composuit, frontem et
»supercilia contraxit. Deinde corollae versicolores nec non 6.
»lucida ornamenta derepta sibimet a Caeceïde in terram
»cecidere; et quaecunque ea deripuerat, tum serta, tum 7.
»alia ornamenta, solum terrestre collustrabant, sicuti si-
»dera polum aetherium. In offensionis cubiculo collapsa, 8.
»sordidata amictum, crinibus in unum nexum colligatis,
»cernebatur qualis Cinnaris aegritudine languens.«] [1]).

At magnus rex, postquam Râmae consecrationem 9.
ordinaverat, dimisso comitatu, in aulae penetralia seces-

---

1) Disticha haec, quae uncis inclusi, nihil continent, quod non antea iam narratum fuerit: verba modo variantur. Facile intelligitur, quomodo talia exordia irrepserint. Quum nimirum non uno tenore carmen recitari posset, rhapsodi curarunt, ut auditores initio novae recitationis proxime anteacta reminiscerentur.

Digitized by Google

10. sit. Secum reputans solennia mox celebranda iam pu-
blice nota esse, gratissimae dominae gratum nuntium ob-
11. servanter allaturus in gynaeceum intravit. Inclytus ille
ergo adiit amplissimam Caeceïdis domum, tanquam aethera
candidis nubeculis distinctum, ipse velut sidus noctium
12. a Dracone correptum. Vidit domum illam, psittacis pa-
vonibusque circumvolitatam, ardearum anserumque clan-
gore strepentem, fidium tibiarumque modis resonantem,
13. a famulabus, gibberis et nanis frequentatam, instructam
umbraculis ex arbustis variis et flexilibus apte contextis,
circa quae *champaci* et *asoci* florebant, instructam quo-
14. que porticibus eburneis, argenteis, aureis; arboribus
semper floridis ac pomosis, stagnisque limpidis nitentem;
15. sedilibus eburneis, argenteis, aureis cinctam; eduliis,
sorbitionibus, variisque dapibus abundantem; sumptuoso
16. ornatu coelitum sedes aemulantem. Quod gynaeceum
opulentum ingressus magnus rex, non tamen conspexit
17. caram Caeceïdem in toro egregio cubantem. Tum po-
pulorum dominus cupidinis vi devinctus, delicias suas de-
siderans, non cernens coniugem diloctam, quaesivit quid
18. esset, et conturbatus fuit. Neque enim antehac domina
hanc horam praetermittere solebat, *quin eum exspecta-
ret;* nec unquam rex domum vacuam ingrediebatur:
19. quare Caeceïdem, cuius visendae gratia venerat, ubique
anquisivit, siquidem huc usque non cognoverat lucri ca-
20. ptandi avidam indocilemve. Ianitrix vero perterrita, pro-
tensis supplex manibus, Domine! inquit, domina valde
21. irata ad offensionis cubiculum properavit. Ianitricis ser-
mone audito rex, iam summopere animo aeger, vehemen-
22. tius etiam doluit, titubantibus turbatisque sensibus. Ibi
conspexit terrarum dominus, dolore quasi flagrans, illam
23. humi collapsam, indigno habitu cubantem. Ipse senex

Digitized by Google

iuvenilem coniugem vel anima ipsi cariorem, ipse plus
nefaria molientem, vidit in nudo terrae solo iacentem,
ceu plantam pampineam radicitus excisam, ceu Divam 24.
coelo delapsam, ceu Cinnaridem expulsam sive Apsara-
sem deiectam [1]). Tum veluti excelsus elephas elephan- 25.
tem feminam in silvis a venatore telo venenato sauciatam *proboscide demulcere solet* [2]), prae caritate leni-

---

1) Putabant Indi, deos minorum gentium semideosve interdum propter culpam aliquam e coelo in terram exsulatum ablegari. Cf. RAM. L. I, cap. XLIV, 28. 29. Cinnaros passim memoratos vidimus: sunt utriusque sexus, *Kinnara* et *Kinnarî*. Quomodo puellis hippocephalis venustas aliqua tribui possit, poëtae Indorum ipsi viderint. Recordemur tamen, veteres Graecos aliquando Cererem capite equino deformem adorasse. — De Apsarasum nomine conferantur, quae adnotavi ad Lib. I, cap. XLV, 33. Nymphas commode eas dici posse arbitratus sum, siquidem Nymphae Graecorum faciles erant, a severitate morum alienae, et choreas ducere solebant; hactenus modo ab Apsarasibus diversae, quod non in coelo sed in terris vitam degere credebantur. Quod si ad mores humanos respicimus, ad quorum similitudinem plerique populi vitam deorum effingere consueverunt, Apsarases sunt coelitum saltatrices, *νέϱγά*. Eiusmodi vero puellae apud Indos Graecorum *ἱεροδούλαις* comparari possunt, hac ex parte, quod utraeque ad publicas pompas saltatione celebrandas adhibebantur.

2) Vulgo notum est, multas gentes semiferas invenisse artem sagittas succo venenato imbuendi, quo vel levissima vulnera letalia fierent. Aetate Homeri apud Graecos talibus telis in bello uti iure gentium interdictum erat. Venatoribus, abiecto in India hominum ordini, licebat exercere artem viris honestis indignam. Ceteroquin Indi agnoscebant quodammodo ius naturae erga bruta animalia observandum: nefas habebatur occidere feras, nisi quae aut noxiae essent, aut esui idoneae: qua de re est

Digitized by Google

26. ter eam contrectavit. Deinde manibus contrectatam
animo perturbatus, amore captus, formosam coniugem,
27. loti folia oculis referentem, talibus affatur: Equi-
dem non assequor iram tuam, ut ad me spectantem.
28. A quonam ergo, domina, offensa fuisti, vel a quonam
despecta, quod ita, mihi dolenda, o pulcra, in solo pul-
verulento cubas, quasi Larvarum visu perculsa fores
29. amens, mentis meae turbatrix? Sunt mihi medici pe-
riti, rite inter se partiti diversa artis suae ministeria: [3])
hi efficient, ut suaviter valeas; declara modo morbum,
30. quo laboras. Quemnam oportet hodie commodum ca-
pere, aut quemnam contra ingens incommodum? Noli
plorare, noli tu, domina, tale quid facere, unde misere
31. contabescas. Quemnam insontem poenas luere oportet,
aut quemnam sontem liberari? Quis pauper est ditan-
32. dus, aut quis opulentus bonis exuendus? Tum egomet,
tum cuncti ministri mei iussis tuis paremus. Non a me
33. impetro, ut ulla in re optatum tibi irritum faciam. Vel
per vitam meam te obsecro, effare, quid in animo ha-
beas. Quatenus potestatem in me sitam nosti, de me

---

locus luculentissimus in libro quarto Rameïdos nostrae. Probabile fit, venatores Indos usos fuisse veneno *upas* dicto, cuius plura sunt genera e diversis plantis extracta. Cuius veneni vis letifera experimentis in cuniculis aliisve animalibus minutis comprobata est. (Cf. *Annales de Chimie et de Physique*. T. XXVI, p. 44—63.) At hoc sane mirabile, sagittae acie per crassum elephanti corium vix in venas penetrante, tam immanem belluam enecari: nec tamen poëta id ex vano finxisse, sed experientia edoctus protulisse videtur.

3) Patet hinc, Indos ab ultima inde antiquitate simili ratione et aeque diligenter quam Aegyptios artem medicam excoluisse. Cf. HERODOT. II, 84.

Digitized by Google

dubitare non te decet. Faciam, quicquid gratum tibi 34.
fuerit, vel per praemia piis operibus merita tibi iuro.
Quantum circumvolvitur mundus, in tantum patet imperium meum. *Parent mihi populi Orientales, Sindhus 35.
*accolae, Suvirenses, Surastreni, ad meridiem vergentes,
*Vangi, Angi, Magadhenses, Matsii, florentes Casidis in-
colae, Cosalique. 4) Ibi proveniunt plurimae copiae, 36.
tum aera frugesque, tum pecudum greges. Inde elige,
Caeceï, quicquid animo tuo libuerit. Id vero tute di- 37.
cas mihi, Caeceï, unde metus te incessierit: hunc tibi
dissipabo, sicuti Sol radians pruinam. Ita illa blando 38.
alloquio in fiduciam adducta, effandi cupida ingratum
istud, vehementius etiam angoribus maritum exagitare
coepit.

CAPUT XI.

BENEFICIORUM PROMISSORUM PETITIO.

At Caeceïs imperii rectorem, Cupidinis sagittis sau- 1.
cium, amoris impetu abreptum, atroci oratione aggredi-
tur: Non sum offensa a quoquam, domine, nec vero de- 2.
specta: sed habeo aliquod propositum, quod a te perfici
cupio: quod si tu perficere vis, fidem tuam obstringe; 3.
tunc pronuntiabo istud, quod a me expetitur. Verbo vix 4.
dicto rex, Caeceïdis arbitrio obnoxius, prosiluit veluti
dorcas in laqueum, sibimet pernicicm parans. Compel- 5.

---

4) Distichon manifesto spurium eiicere nolui, quia in omnibus commentatorum codicibus legitur.

Digitized by Google

lavit igitur magnus rex Caeceïdem cum leni risu, amore
captus, supposita crinibus manu sublevans humi iacen-
6. tem: O nimis proterva! quasi non bene nosses, nemi-
nem mortalem te mihi cariorem vivere, excepto morta-
7. lium praestantissimo Râma. Per hunc invictum magna-
nimumque summum Raghuidem, felicissima vita dignum,
obsecro te, effare, quodnam optatum in animo habeas.
8. Cuius adspectu orbus ego profecto ne horam quidem
vivere possum, per hunc Râmam, Caeceï, tibi iuro,
9. dictum tuum perfectum iri. Vel hoc ipsum cor, cara
coniux, si placuerit, a me exposcas. Haec perspiciens,
10. Caeceï, dicas quicquid placitum fuerit. Quatenus facul-
tatem in me vides, dubitare non te decet; gratificabor
11. tibi: iuro per praemia piis operibus merita. — Regina
vero, rei gerendae intenta, illi ad arbitrium suum accom-
modato retulit prae ambitione ac gaudio infandum effa-
12. tum: Quemadmodum repetitis vicibus iuras, mihique mu-
nus largiris, id audiunto triginta tres Divi, Indram du-
13. cem secuti; Lunus ac Sol, Aetherque, Nox ac Dies,
coeli Plagae, Mundus, haec ipsa Tellus cum Gandharvis
14. et Râxasis *qui eam invisunt*, noctivaga Animantia, in
domuum penetralibus Penates, et quaecunque aliae na-
15. turae cognoscere queunt orationem tuam: hic vir veri-
dicus, inclytus, recti gnarus, mentis probe compos, lar-
gitur mihi munus; id in mei gratiam Divi audiunto! Sic
16. postquam regina heroëm arcitenentem obstrinxerat et
circumvenerat, deinde munerum largitorem amore occae-
17. catum hisce affatur: Recordare, o rex, quid olim evene-
rit in isto Coelitum Titanumque proelio. Ibi parum
18. abfuit, quin hostis animam tuam exstingueret; memineris
quoque, domine, ibi te mea ope conservatum fuisse;
quapropter mihi vigilanti atque annitenti bina munera tu

Digitized by Google

concessisti. Haec munera in deposito habita, domine, 19.
nunc occasione oblata ego expeto a te imperii custode,
fido pactorum servatore. Ergo, religiose pollicitus, nisi 20.
tu mihi dederis utrumque munus, hoc ipso die profecto
vitam relinquam, utpote a te despecta. Qui apparatus 21.
solennis ad Râmae consecrationem inchoatus est, illo eo-
dem apparatu filius meus Bharatas inauguretur. Quod vero 22.
alterum munus, domine, olim in Coelitum Titanumque
proelio a te propitio mihi concessum fuit, huius iam
tempus advenit. Per novem annos quinque additis ad 23.
silvam Dandacam profectus, tunica e libro contexta et
nebride amictus, comam plexam vertice sustinens, Râmas
anachoretae vitam degito. Hodie Bharatas in imperium 24.
sine aemulo cooptetur, hodieque Râmam in silvas mi-
grantem videam.

CAPUT XII.

Dasarathae lamentatio.

Protinus, audita Caeceïdis atroci oratione, magnus 1.
rex in cogitatione defixus fuit, atque aliquantisper angore
oppressus. »Num forte somnium mihi est visum, aut 2.
»sensuum torpor accidit, aut vero portentum apparuit,
»aut denique dementia quaedam me cepit?« Talia se- 3.
cum volutans rex nullam uspiam requiem assequebatur,
exsternatus ac trepidus, veluti dorcas tigride conspecta.
In nudo terrae solo sedens, alta suspiria trahens, sicuti 4.
serpens venenatus carminibus arcto circulo inclusus, po-

Digitized by Google

5. pulorum dominus indignabundus, hac sola voce »Heu
»nefas!« emissa, denuo in torporem incidit, aegritudine
6. plane attonitus. At vix tandem sensu recuperato rex ve-
hementer vexatus Caeceïdem affatur, irae plenus, flagran-
7. tibus oculis quasi combusturus eam. Crudelis, improba
mulier, domus huius pernicies! quodnam scelus, scelesta,
8. a Râma vel a me quoque contra te est admissum? Sem-
per tibi aeque ac genitrici suae obsequium praestat Ra-
ghuides: quare tandem huic damnum inferre tu nunc
9. conaris? Tu ad perniciem meam in regiam deducta
fuisti a me imprudente, regis quidem filia, sed viperae
10. acri veneno infectae similis. Dum universum genus hu-
manum Râmae virtutes laudibus celebrat, quamnam cul-
11. pam praetexens deseram ego filium gratissimum? Pos-
sim forte deserere aut Causaliam, aut Sumitram, aut For-
tunam adeo, aut ipsam denique animam, nequaquam vero
12. Râmam pium erga patrem. Summa fruor delectatione,
dum video filium natu maximum: at non aspiciens Râ-
13. mam animum protinus despondeo. Stet forsitan mundus
sine sole, stent fruges sine imbre, at sine Râma pro-
14. fecto anima mea in corpore non stabit. Ne plura! Abii-
cito hocce consilium, o male consulta! Quin et pedes
15. tuos capite tango: miserere mei! Cur, improba, a te
excogitatum est coeptum istud atrocissimum? Num forte
me tentas, utrum bene an male affectus sim erga Bhara-
16. tam? Esto: quicquid olim ipsa de Raghuide pronuncia-
sti, id a te blandiloqua in meam gratiam dictum fuerit.
17. Nunc vehementer me vexas moerore vexata, quamprimum
id intellexi. Intrasti cubiculum hocce vacuum alieno ar-
18. bitrio obnoxia. Ixvâcuidarum stirpem, decoris semper
studiosam, ingens hocce dedecus invasit, quod mens tua
19. ad pravitatem est detorta. Nunquam antehac tu, gran-

Digitized by Google

dibus oculis decora, quicquam aut inconcinnum, aut mihi
ingratum fecisti, quapropter ne nunc quidem credo *te*
serio loqui. Nonne Raghuides tibi eodem loco quo Bha- 20.
ratas magnanimus habetur? Sane, dum infans ille erat,
saepe tu mihi tales fabulas narrabas. Quomodo fit, do- 21.
mina, ut iam tibi verecundae placeat Râmae huius pii,
inclyti, exsilium in silvis per novem et quinque annos
tolerandum? Râmas certe impensius vel ipso Bharata te 22.
obsequio colit: quare inter illum et Bharatam, quantum
ad te, nullum discrimen perspicio. Obsequium, digna- 23.
tionem, auctoritatem, mandatorum curam, quis alius im-
pensius praestare tibi possit quam iuvenis egregius? Ex 24.
multis millibus tum feminarum, tum clientium meorum
nulla obtrectatio vel criminatio contra Raghuidem inten-
tatur. Mulcens omnes mortales placida mente, hominum 25.
princeps beneficiis regni incolas sibi conciliat. Fide ci- 26.
ves obstringit Raghuides heros, miseros donis, magistros
obsequio, arcu in proeliis superat hostiles copias. Ve- 27.
ritas, largitio, pietas, liberalitas, amicitia, probitas, recti-
tudo, doctrina, magistrorum observantia: haec omnia per-
petuo insunt Raghuidae. Contra hunc Râmam, ad pro- 28.
bitatem conformatum, Diis comparabilem, magnorum Sa-
pientum instar lucentem, quomodo, domina, potes nefas
moliri? Non recordor ullum acerbum sermonem huius 29.
ubique blandiloqui: quomodo igitur Râmam dilectum in
tui gratiam acerbis dictis compellare possum? Cui inest 30.
patientia, temperantia, liberalitas, fides, iustitia, benefi-
ciorum memoria, clementia erga omnes animantes: sine 31.
eo quodnam erit columen meum? Mihi seni, Caeceï, ad
fatum properanti, infelici, miserabiliter lamentanti, ve-
niam dare te decet. Quicquid in tellure oceano ambita 32.
conquiritur, id universum tibi dabo: noli tu modo mor-

Digitized by Google

33. tem oppetere. Supplices manus tibi tendo, Caeceï, quin
et pedes tuos contingo, sis perfugium Râmae, ne me sce-
34. lus hac in re polluat. Ita vexatum dolore magnum re-
gem, lamentantem, amentem, sese volutantem, moerore
35. undique mersum, iterum iterumque annitentem ut quam
primum pelagi aegritudinum littus contingeret, atrox Cae-
36. ceïs contra affari atrocioribus verbis: Quod si te, bina
munera pollicitum, eorundem rursum poenitet, quomodo
rectitudinem tuam, o heros! per orbem terrarum iacta-
37. bis? Quando multi reges sapientes tecum congressi te
tanquam recti gnarum collaudabunt, quid tunc respondc-
38. bis? »Illa cuius opera strenua vivo, quae incolumem me
»servavit: huic eidem Caeceïdi fidem datam violavi;« ita
39. tibi dicendum erit. Cunctis regibus tu, o princeps, in-
famiam conflabis, nempe qui munere concesso hodie rur-
40. sum contraria loqueris. SAIVIUS in fabula ista de acci-
pitre et columba suam ipsius carnem volucri dedit [1]).

---

1) Est apologus notissimus, ad quem alludit regina. Columba accipitris impetu exagitata in sinum regis *Saivii* confugit. Accipiter regem obiurgat, quod praedam iam captam sibi eripiat. Rex ait: Ius tuum haud nego, sed sponte ab eo absiste. Columba ut supplex a me deseri non debet. Quodcunque aliud petieris, id pretium pro ea redimenda me soluturum polliceor. Accipiter regis cor poposcit, quod Saivius ei dilacerandum dedit, et ita necatus praemium fidei in Indrae mundo accepit. — Indi fabulas designant nominibus actorum copulatis et addita terminatione *îya*. Haec dicitur *çyena-kapôtîyam* (subintelligitur *âkhyânam*), fabula de accipitre et columba. In *Bharatea* memorantur praeter hanc: *hansa-kâkîyam*, fabula de ansere et cornice; *samvarta-marutîyam*, fabula de nube et vento; in Hitôpadêso: *kâka-tâlîyam*, fabula de cornice et arbore Palmyra. Quo ex usu

Digitized by Google

ALARCUS ambobus oculis datis ad summam sortem evectus est. Oceanus post pactionem factam, *quamvis in-* 41.
tumescente aestu, limitem tamen non transgreditur. Noli pactionem irritam reddere; memento rerum olim gestarum. Deserto fidei officio, ac Râma in imperium coo- 42.
ptato, tu cupis cum Causalia semper delectari, improbe. Nefas esto sive fas, fides denique sive fraus, quod a te 43.
mihi promissum fuit, eius nulla datur violatio. Ego certe 44.
te coram hodie multo veneno epoto in tuo conspectu exspirabo, si Râmas consecratur. Quod si vel unum diem 45.
Râmae matrem supplicationes subditorum accipientem videre oporteat, sane mors mihi foret unica salus. Per 46.
Bharatam ac memet ipsam iuro tibi, populorum domine, me nulla alia re contentam fore, nisi Râmae exsilio. Hac- 47.
tenus prolata oratione, Caeceïs iam conticuit; rex vero audito dicto istius, certissime deliberato, nihil contra 48.
fari, turbatis aliquantisper sensibus, sed dominam dilectam acerbe loquentem rigidis oculis intueri. Tum ani- 49.
mum dominae obfirmatum dirasque horrendas secum meditatus, Râmae nomen suspirans, concidit velut arbor succisa. A sensu alienatus ceu vecors, deficiens ceu 50.
aeger, vigore spoliatus ceu serpens erat terrae dominus. Alta et calida suspiria trahens rex vehementer afflictus 51.
voce lamentabili ac fracta talibus Caeceïdem affari: A quo- 52.
nam edocta es noxam sub commodi specie, quasi Larvarum visu attonita, quod ita mecum loqui non te pudet? Haec est morum corruptela, quam in te a tenera 53.
inde aetate nunquam antehac expertus sum, nunc vero

---

loquendi apparet, inventionem apologi Aesopici tum antiquissimam fuisse apud Indos, tum populi ore vulgatissimam.

Digitized by Google

54. infausti ominis instar animadverto. Unde tandem timor tibi est iniectus, quod tu eiusmodi munus, Bharatam in imperio sedentem, Râmam in silvis exsulantem, expetis?
55. Desiste ab isto proposito atque ab ista perfidia, si coniugi tuo gratum facere vis, civibusque, ipsique Bharatae.
56. O crudelis, scelesta consilia agitans, vilis, ad nefas prompta! ecquid malum iniuriumve in me Râmaque cernis?
57. Nullo modo adduci poterit Bharatas, ut sine Râma imperium capessat: siquidem vel Râma observantiorem iu-
58. stitiae eum esse arbitror. Quomodo adspicere potero Râmae in silvis exsulare iussi vultum decolorem, sicuti
59. Lunam defectu obscuratam? Hoc vero pium consilium meum, cum familiaribus probe deliberatum, quomodo adspicere potero eversum, tanquam exercitum ab hosti-
60. bus profligatum? Quid de me dicent reges, qui a diversis mundi plagis huc convenere? *Nonne hoc*: »Re-»puerascit, heu! Ixvâcuides iste, nimis diu regno admi-
61. »nistrato.« Quando multi senes sancti, voluminum sacrorum periti, de Cacutsthide me percunctabuntur, quid
62. tunc respondebo? »Exagitatus a Caeceïde Râmam in »exsilium egi.« — Quod si hoc verum dixero, eo ipso
63. falsi arguar. Quid mihi dicet Causalia, Raghuide in silvas profecto? et quid ei respondebo post tantam iniu-
64. riam factam? Usque quaque Causalia, ceu ancilla, ceu amica, ceu coniux, ceu germana, ceu mater me colit.
65. Haec tamen regina, semper mihi gratificari studens, filii amans, blandiloqua, in tui gratiam mihi non eo honore
66. habita fuit, quo digna est. Iam vero hoc me angit, quicquid honoris in te contuli, sicuti cibus noxius con-
67. dimentis saporatus aegrum, qui ei indulsit. Adspiciens contumeliam Râmae illatam, eiusque propulsationem in silvas, Sumitra territa quomodo in posterum mihi confi-

Digitized by Google

det? Heu rem miserrimam! Puella Vidêhana duplicem 68.
nuntium infaustum simul audiet, meque fato defunctum,
Râmamque in silvas profectum. Eheu! spiritum vitalem 69.
mihi absumet Vidêhana moerens, veluti Cinnaris in Hi-
mavantis clivo a Cinnaro deserta. Non sane diu me vi- 70.
cturum esse spero, postquam videro Râmam in vasta sil-
varum migrantem, puellamque Mithilensem plorantem.
Nimis certo mihi persuaseram te probam esse, quum sis 71.
improba; qualis est homo qui se inebriat potione spe-
ciosa, sed veneno imbuta. Falsis, heu! blanditiis mulcens 72.
dum mecum garris, occidisti veluti venator feram dulci
cantus sono allectam. Me filii venditorem sine dubio 73.
viri honesti ut inhonestum increpantes, respuent haud
secus ac Brachmanam temulentum per plateas vagantem.
Heu! quanta est miseria mea, quod sermones tuos to- 74.
lero! Talis calamitas in me ingruit, quasi sit poena ne-
farii facinoris olim patrati. Nimis diu profecto a me 75.
pravo tu prava fuisti curata, per inscitiam in sinum re-
cepta, sicuti restis suspendio apta ac destinata. Tecum 76.
voluptati indulgens, te esse mortem non perspexi; quasi
rudis forem puer, in latebris manu tetigi nigrum serpen-
tem. Certe fieri nequit, quin cuncti mortales huius aevi 77.
me inclament, quod filius iste magnanimus per me cru-
delem non amplius sit patrimus. »Ultra modum, heu! 78.
»delirat rex Dasarathas, libidine captus, qui in mulieris
»gratiam dilectum filium in silvas propellere vult. Post- 79.
»quam votis castimoniisque magistrorumque auctoritate
»sese coërcuit, fruendi tempore denuo in molestiam in-
»gentem incidet.« Non sustinebit filius plus uno verbo 80.
quicquam mihi referre, sed iussus migrare in silvam, ni-
hil dicet nisi: Factum bene! Si Raghuides de exsilio sol- 81.
licitatus contumaciter mecum ageret, id gratum mihi foret;

Digitized by Google

82. sed puer dulcissimus nihil tale faciet. Raghuide vero
in silvas profecto, me ab universo populo inclamatum
nec amplius tolerandum Mors in Yami sedes deducet.
83. Me mortuo, Râma, iuvenum praestantissimo, exsule, con-
tra reliquam familiam mihi caram quousque scelerum
84. progrediris? Causalia regina, meque filioque Râma quum
orbata fuerit, aerumnas non tolerans, secundum me leto
85. dabitur. Causaliam Sumitramque meque cum tribus filiis
quando ad Inferos detruseris, tunc tu, Caeceï, felicitate
86. tua fruere. A me Râmaque desertam Ixvâcûs gentem
perpetuam, virtutibus probatam, hactenus inconcussam,
87. tu disiectam imperio reges. Quod si Râmae exsilium
Bharatae gratum fuerit, absit ut Bharatas mihi vita de-
88. functo inferias faciat! Hem! improba, mihi infensa, po-
tire libidine, Caeceï! Tu mox vidua cum filio tuo do-
89. minationem exercendam curabis. Sub uxoris specie la-
tens, sed re vera Nox fatalis mundo perituro ingruens,
tu, regia proles, fato quodam in aedibus meis consedisti.
90. Infamia immensa per orbem terrarum, contumelia inelu-
ctabilis contemptusque omnium animantium me manet ut
91. hominem nefarium. Quomodo regali more suetus curri-
bus, elephantis equisque assiduo vehi Râmas, deliciae
92. meae, pedibus deserta saltuum peragrabit? Cui cibi ca-
piendi tempore coqui inauribus ornati, aemulantes inter
93. se, edulia et cupedia laudatissima condiebant, quomodo
is filius meus, iam acida, pungentia, amara manducans,
94. quales sunt fructus silvestres, vitam sustentabit? Vestes
pretiosas indutus, diu lautitiis assuetus, quomodo nunc
95. panno fusco amictus humi decumbet? Cuiusnam fuit
atrox effatum hocce, hactenus inauditum, Râmae exsilium
96. in silvis, Bharataeque consecratio? Heu malum, feminae!
Scilicet perfidae sunt, suis modo commodis studentes.

Digitized by Google

Non omnes mulieres tales dico, sed utique Bharatae
matrem. O noxia meditans! lucri avida! crudelis! Ad 97.
poenitentiam meam te in domum deduxi. Quidnam
iniurium cernis, quantum in me est, aut in Râma
etiam, benigne tibi obsequente? Possint vel patres de- 98.
serere natos, vel amantissimae uxores quoque maritos;
at universus mundus indignatione commotus foret viso
Râma calamitatibus merso. Ego vero formosum divi- 99.
nae subolis instar natum regali ornatu ad me accedentem adspiciens ceu effigiem in speculo, gestio ac denuo
quodammodo iuvenesco. Sine Sole fortasse victus tole- 100.
rari possit, vel etiam fulminis Iaculatore imbres negante:
at Râmam hinc migrantem conspicatus vivet plane nemo;
haec est sententia mea. Te exitio meo inhiantem, ini- 101.
micam, infestam, excepi amplexu ceu mortem ipse
meam. Nimis diu, heu! sinu te fovi, aspida venenatis-
simam; ergo dementia me perdidit. A meque, Râmaque 102.
cum comite suo Laxmano desertus Bharatas iam dominetur, tecum consociatus. Quandoquidem urbemque regnumque cognatosque pessum dedisti, nunc inimicorum
meorum blando alloquio fautrix esto. O crudelissime 103.
animata, turbarum machinatrix! quale hic modo dictum
obstinate effaris, miror sane cur non ex ore tuo dentes
millies diffracti humi decidant. Nullum unquam sermo- 104.
nem malevolum aut ingratum protulit, immo nescit
omnino Râmas convicia ingerere: quomodo tandem huic
suavissime loquenti, propter virtutes semper probato, crimina exprobras? Vel despera, vel fure, vel peri, vel in 105.
tellurem mille hiatibus diruptam desili: non exsequar
dictum tuum atrocissimum, mihi infestum, o vilissima
regis Ceceorum progenies! Te, novaculae aciei simi- 106.
lem, perfide semper blandiloquam, prava appetentem,

Digitized by Google

gentis nostrae insidiatricem, *te, inquam*, vix sustineo vivere invisam, cor mihi cum nervis suis exurere conan-
107. tem. Ne vita quidem mihi suppetit: unde tandem felicitas? Sine nato, indole mihi cognato, unde voluptas? Hostilia adversus me facere, domina, non te decet; pedes tuos supplex tango: sis mihi propitia!
108. Ita imperii rector lamentans quasi praesidio destitutus, corde compressus a muliere impotente, provolvebatur ad geminos dominae pedes protensos, sed neutrum attingere potuit, plane ut aegritudine confectus.

CAPUT XIII.

DASARATHAS ANIMO PERTURBATUS.

1. Magnum regem aliter ac decebat cubantem, nec talibus aerumnis dignum, sicuti Yayâtem post exhausta
2. piorum operum praemia ex Coelitum mundo delapsum, femina noxiis formae suae illecebris rerum potens, ipsa interrita ac terrifica, denuo idem munus poscere coepit.
3. »Tu, magne rex, gloriaris, ut veridicus, votorum tenax:
4. quamobrem igitur munus hocce detrectas? Ita compellatus a Caeceïde rex Dasarathas talia deinde retulit ira-
5. tus, aliquantisper quasi exsternatus: Ego diu filiis orbus ingenti molimine ingentem filium, Râmam heroëm, *numine favente* nactus sum: quomodo is potest a me de-
6. seri? Fortisque, eruditusque, irae temperans, patientia insignis, Râmas lotophyllops quomodo a me in exsilium
7. agetur? Vel in coelesti sede, profecto, mihi Râmae incolumitatem quaerenti, quum negando responsum fuerit

Digitized by Google

a Superis, vix qualicunque modo constanter id feram.
Quod si mihi funus obtingat, antequam malo affecerim 8.
Râmam, nihil mali meritum, tunc demum felicitatem adi-
piscar. Dum sic lamentabatur iste, turbine mentis cir- 9.
cumactus, Sol ad occasum pervenerat, et Nox paullatim
evehebatur. Haec autem per tres vigilias dispertita, lu- 10.
nae orbe coronata, regi vexato ac lamentanti non grate
affulsit. Tali modo calida suspiria trahens grandaevus 11.
rex Dasarathas misere lamentabatur moerorem, lumina
in coelo fixa tenens. »Non desidero diluculum tuum, o 12.
»Nox sideribus illustrata! gratum aliquod mihi facito,
»alma! tibi manus hasce supplices porrigo. Aut potius 13.
»propere abito; haud equidem cupio immitem, crudelem
»Caeceïdem ultra videre, cuius culpa sum in aerumnis.« 14.
Cum fletu deinde rex Caeceïdem protensis manibus denuo
placare conatus est, atque hunc sermonem protulit: Probe 15.
animato, misero, ad te confugienti, vita defuncto, venia
est danda, cara domina, regi praesertim. Omnis praesi- 16.
dii sane egenus, o formosa, hoc solum effari possum: da
veniam ut decet, puella, quandoquidem tu es bene cor-
data. Propitia sis, domina! Râmas ipse regnum a te 17.
datum accipiat, o nigris palpebris decora! Sic optimam
famam tibi comparabis. Mihi, Râmae, populo, magistris, 18.
Bharataeque ipsi gratum hoc facito, iuvenili femore, ore
oculisque pulcris nitens.

Audita regis, oculos rubore suffusi, vocem lacrimis 19.
fracti, varia ac miserabili lamentatione, coniugis candidi
uxor prava et crudelis ne verbum quidem protulit. Tum 20.
rex iterum stupore oppressus, intuens mulierem amatam
semper indignantem sibique de filii exsilio pertinaciter
obloquentem, prae aegritudine sensu cassus humi cecidit.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

RAMAE ARCESSITUS.

1. Angore filii caussa vexatum scelerata illa, sensu cas-
sum, humi lapsum ac palpitantem conspicata, Ixvâcuidem
2. talibus affatur: Cur tandem, quasi piaculo quodam pa-
trato, pollicitus mihi promissum, despondens in terrae
3. solo iaces? In recto te perstare oportet. Officiorum
gnari homines aiunt fidem esse summum officium. Fidei
praesidio freta ego te ad officium explendum duntaxat
4. cohortor. SAIVIUS, rex late imperans, accipitri aliquid
pollicitus, corpore suo volucri tradito ad summam statio-
5. nem pervenit. Similiter inclytus ALARCUS quoque Brach-
manae in libris sacris penitus versato, muneris nomine
6. ipsius oculos petente, haud gravatus erutos tradidit. Flu-
viorum porro dominus *(Oceanus)* olim intra valde angu-
stos terminos constitutus, fidei datae reverentia ex pacto
7. littus suum aestu non transgreditur [1]). Fides est com-
prehensa uno verbo religio; fide nititur iustitia; fides est
stabile librorum sacrorum argumentum; fide summa sta-
8. tio attingitur. Fidem unice sequere, si mens in officio
est confirmata. Munus istud mihi fiat fructuosum, siqui-
9. dem tu, vir optime, es munerum largitor. Ut officio
satis facias, nec non hortatu meo, in exsilium pelle filium
10. Râmam; ter diserte ego te hoc posco. Quod si tu pro-
missum hocce mihi non perficies, coram te, ipsa deserta,

---

1) Breviter tacta antea haec exempla (cap. XII, 40. 41.) nunc amplificata denuo profert Caecelis.

Digitized by Google

vitam deseram. Ita stimulatus a Caeceïde impavida ne- 11.
quibat laqueum excutere, perinde ac Bales laqueum ab
Indra confectum. Perturbatus ille corde, ore pallidus 12.
erat, ac iumento inter iugum rotamque trepidanti similis.
Natantibus oculis nihil fere cernens terrae dominus, ex 13.
angore tamen constantia se erigens, talibus Caeceïdem
affatur: Quae manus tua verbis solennibus consecrata igne 14.
coram a me fuit prehensa, mulier scelerata, hanc ultro
iam repudio, filiumque tuum tecum simul. Provecta est 15.
nox, o regina, solisque ortus iam instat: certo sacrorum
antistites de festinanda consecratione me monebunt. Cum 16.
iisdem apparatibus eum in finem ordinatis, ut Râmas
consecraretur, curandum est ut ille idem mihi mortuo
inferiarum solennia faciat. Utique a te filioque tuo in- 17.
feriae mihi non sunt ferendae, siquidem tu, nefas mo-
lita, eversura es Râmae consecrationem. Haud equidem 18.
sustineo videre cives vultum deiectos, omni gaudio sola-
tioque exutos, quos antea tanta laetitia elatos videram.
Dum magnanimus terrae dominus hunc in modum cum 19.
ista colloquebatur, interim Nox alma, luna sideribusque
coronata, diluculo cessit. Tunc ad nefas obfirmata Cae- 20.
ceïs denuo principem compellavit dictis probrosis, fandi
docta iraque vecors: Qualem hunece sermonem garris, o 21.
rex, veneni evomiti similem? Oportet te huc arcessen-
dum curare strenuum filium Râmam. Quando in impe-
rio constitueris meum natum, Râmam exsulem in silvas 22.
abegeris, meque a rivali liberaveris, tunc officio tuo plene
functus eris. — Ille, veluti equus generosus stimulo acer- 23.
rimo percussus, identidem a Caeceïde lacessitus, Officii vin- 24.
culo, inquit, sum obstrictus, ac mentis plane inops: cupio
visere filium natu maximum, dilectum piumque. Interim 25.
nox diluculo cesserat, ortoque iam sole, instante fausti sideris

Digitized by Google

26. coitu cum luna, faustaque hora, Vasishthas virtute excel-
lens, discipulis circumdatus, assumptis sine mora sacrorum
27. apparatibus amplissimam urbem intravit. Hanc ad maxi-
mum festum celebrandum accommodatam, exspectatione de
28. Raghuide anxiam, Indrae urbi comparabilem postquam pe-
rambulaverat, aspexit domum regalem vir venerandus, variis
volucrum generibus strepentem, plenissimam aulicis hono-
29. ratissimis, scipiones gestantibus. Ad hanc regiam acce-
dens permeavit multitudinem Vasishthas summopere lae-
30. tus, egregiis sapientibus stipatus. Ibi autem conspexit
in publicum progressum aurigam, nomine Sumantram,
ante fores principis, eiusdem familiarem visu amabilem.
31. Ad hunc ex aurigarum stirpe prognatum, artis suae pe-
ritum, conversus gravitate pollens Vasishthas, Cito nuntia
32. regi, inquit, me huc advenisse. Adsunt, ecce! urnae
aureae aqua e Gange maribusque hausta plenae, sedile
33. ficulneum, inaugurationis gratia allatum; cuncta frugum
semina, odoresque, variaeque res pretiosae; mel, coagu-
lum, pinguedo e lacte liquata, tosta oryzae grana, ver-
34. benae, flores, lac dulce; octo virgines nitidae, alacerque
elephantus bellicus; currus quadriiugus, insignis acina-
35. ces, arcus egregius; lectica famulis gestata, et umbracu-
lum lunae instar splendidum, duoque flabella candida,
36. poculumque aureum; cingula aurea instructus candidus
taurus humeros gibbere turgens; leo iubatus quadridens,
37. inter feras fulvas eminens, robore pollens; solium leoni-
bus caelatis suffultum, tigridis exuviae, ignisque sacrifi-
calis accensus; cuncti symphoniacorum chori, saltatrices-
38. que puellae munditiis nitentes; magistri, Brachmanae,
vaccae, purae ferae volucresque; cives ex urbe agrisque
39. primores, mercatores cum collegiis suis: hi aliique multi,
lactantes ac laeta praedicantes, consecrationem Râmae

Digitized by Google

visuri adstant, una cum regibus peregrinis. Hortare re- 40.
gem ad festinandum, ut praestituto die iam orto, et in
coitu sideris Pushii Râmas regnum adipiscatur. Tali 41.
huius magnanimi sermone audito, auriga, laudibus cele-
braturus regem potentissimum, intravit penetralia. Quem 42.
dudum cognitum, grandaevum, ianitores regi probati non
poterant ab aditu arcere, regi gratum facere cupientes.
Is prope adsistens, ut qui nondum compererat istam re- 43.
gis conditionem, vocibus placidissimis praeconium pera-
gere coepit: Sicuti immensus Oceanus exsultat sideris 44.
lucidissimi ortu, similiter tu, placidus, placida mente nos
exhilara. Hac eadem hora Mâtales olim Indram laudi- 45.
bus celebravit: is tum vicit cunctos Danuidas; perinde
ego te consaluto. Sicuti Libri sacri, cum comitatu suo, 46.
Scientiaeque dominum suum spiritalem BRACHMANEM con-
salutant, perinde ego te consaluto. Sicuti Sol coniun- 47.
ctim cum Luno almam Tellurem omniferam hodie con-
salutat, perinde ego te consaluto. Surge, age, maxime 48.
rex, verba bene auspicata profatus, resplendens forma
tua, ceu solis iubar a monte Meru repercussum. Tibi, 49.
o Cacutsthide, Lunus atque Sol, Sivas una cum Cuvero,
Varunusque, Ignis Indrasque victoriam decernant. Abiit 50.
veneranda Nox, Dies faustus iam instat: expergiscere, o
sapiens rex! Magnum negotium instat. Adest, ecce, 51.
sanctus Vasishthas cum Brachmanarum comitatu: protinus
iussu tuo Raghuidae consecratio ordinetur. Ceu pecudes 52.
sine pastore, ceu exercitus sine duce, tale utique esse
solet imperium, ubi rex non sit constitutus. — Tali eius 53.
oratione audita, quae sub blandiendi specie vera monebat,
terrae dominus acrius quam antea moerore contundeba-
tur. Tum quidem solatii expers propter filium, suspi- 54.
ciens aurigam oculis rubore suffusis, inclytus ille ac pius,

Digitized by Google

55. Auriga, inquit, quare me afflictum, illaudabilem, tu laudare cupis? At profecto verbis tuis viscera mea acrius
56. dilaceras. Sumantras, audita voce flebili visoque rege misere affecto, protendens manus supplices, ab illa cubi-
57. culi parte paullulum recessit. Quum vero terrae dominus prae luctu ipse loqui haud potis esset, tum Caeceïs
58. consiliorum gnara Sumantrae responsum reddidit: Sumantra, rex anxius laeta exspectatione circa Râmam, vigi-
59. lando defessus, nunc demum somno se tradidit; quare tu, auriga, festinanter adi regis natum illustrem: adduc Râmam, quaeso; nulla hic iniicienda est dubitatio. —
60. »Non audito regis iussu, *inquit ille*, quomodo ire pos»sum, domina?« Quo responso familiaris sui audito rex
61. cum affari: Sumantra, Râmam visere cupio; cito adduc suavissimum. Ille vero, praesagiens fausti aliquid in
62. corde suo recreatus est. »Manifesto iustitiae cultor nunc »molitur Râmae consecrationem.« Quam quum sibi opinionem finxisset, ingenti laetitia cumulatus praeclarus Su-
63. mantras, Raghuidem visendi cupidus, exiit e gynaecco magnifico, sinus Oceani speciem referente.
64. Inde recto tramite foras egressus, circumspiciens regis portarum custodes, vidit cives diversorum ordinum ditiores foribus adstantes, ac se adventante discedentes.

Digitized by Google

CAPUT XV.

SOLENNIUM INAUGURATIONIS APPARATUS.

At hac nocte transacta Brachmanae librorum sacró- 1.
rum periti constiterunt in statione sua, una cum reli-
gionum magistris; nec non ministri regii, exercitus duc- 2.
tores praesidesque collegiorum, propter Raghuidae con-
secrationem laetantes, ex ordine congregati. Orto sole 3.
puro, adventante die PUSHII sideris, dum oriens CANCRI
signum ad Râmae natalem pervenerat ibique stabat,
quicquid ad consecrationem opus esset, a bis natorum 4.
primoribus apparabatur: aureae urnae aquariae, sedile
ficulneum pulcre ornatum, currusque pro more constra- 5.
tus splendida tigridis pelle; aqua e sancto Gangis et Ya-
munae confluente hausta, et quaecunque alia sunt flu- 6.
mina sancta, stagna, fontes lacusque, ex hisce hausta
unda, et ex maribus undique; mel, coagulum, pinguedo 7.
e lacte liquata, tosta oryzae grana, verbenae, flores,
lac dulce; octo virgines nitidae, alacerque elephantus
bellicus; urcei aquarii aurei et argentei, ramusculis la- 8.
ctantibus inumbrati, lotis purpureis caeruleisque inna-
tantibus lucentes, roris purissimi pleni; *saltatrices quo- 9.
*que magno numero, cultu elegantes, mundo muliebri
*ornatae, venustae, pulcris superciliis oculisque mobili-
*bus decorae * [1]). In promptu erat Râmae insigne fla- 10.

---

1) Versus uncis inclusos legerunt in suis libris editores Srîrâmapurani; eosdem commentator Vâchaspates ante oculos habuit; e nostris codicibus unus modo utrumque exhibet. Est distichon satis elegans, sed hoc loco ineptum ideoque suspectum. Nunc enim non attinebat

Digitized by Google

bellum candidum, vagis lunae radiis simile, *circa manu-*
11. *brium* gemmis ornatum; in promptu candidum umbra-
culum, lunae orbis instar splendorem fundens, consecra-
12. tionis pompam ducere solitum; in promptu candidus
taurus, candidusque equus phaleratus; cuncta quoque
13. organa musica, ceterique praecones. Quemadmodum in
Ixvacuidarum regno apparari solebat consecratio, ita gen-
tilitia quaeque assumpserant, et quicquid aliud addi po-
14. terat. Hi regis iussu ibi congressi, dominum non viden-
tes, inter se quaerere: Quisnam adest, qui regi nos ad-
15. venisse possit nuntiare? Etenim regem non videmus,
solque iam ortus est, et praesto ad imperii consortium
16. prudentis Râmae consecratio. Qui dum tali modo inter
se colloquebantur, Sumantras, probatus regi minister,
17. reges a diversis terris convenas hisce affatur: Ego ex
regis mandato festinanter ad Râmam pergo. Vos, viri
honestissimi, a rege et praesertim a Râma honorifice ha-
18. bendi estis. Quare equidem libenter vestris verbis,
quos salvos volo, ex rege iam expergefacto quaeram
19. caussam dilati adventus. Sic fatus vir veteris memoriae
gnarus ad regiae portam accessit, intravitque domum
20. nunquam ipsi inaccessam. Limine superato constitit
iuxta aulaeum cubiculi, ac vota felicissima profatus, alta
21. voce consalutavit Raghuidem. Tibi, o Cacutsthide, Lunus
atque Sol, Sivas una cum Cuvero, Varunusque, Ignis

---

luxuriare in describendis saltatricum illecebris: et credere par est, hierodulas istas, dum in pompa publica choros ducebant, abstinuisse a motibus nutibusque lascivis, quibus intra privatos parietes iuvenes ad libidinem allicere solebant. Ceterum in festi apparatu recte memorantur. Cf. supra Cap. III, 17. XIV, 37.

Digitized by Google

Indrasque victoriam decernant! Abiit veneranda nox, 22.
Dies faustus iam instat: expergiscere, heros praestantis-
sime! perage negotium sine mora. Brachmanae, exer- 23.
citusque ductores, nec non civium collegia huc conve-
nere; tui visundi sunt cupidi: expergiscere, Raghuide!
Tum rex evigilans aurigae Sumantrae suas laudes ca- 24.
nenti, solennium carminum gnaro, talia reponit: Râmam 25.
adduc, Auriga! quemadmodum ab ista monitus fuisti.
Quaenam sit caussa, scire velim, cur iussum meum de-
trectetur? Non ego sopore sum oppressus: sine mora 26.
adduc nobis Raghuidem. Sic Dasarathas rex aurigae
iussa sua iterum declaravit. Is, audito regis sermone, 27.
capite demisso eum veneratus, exiit e regia, fingens sibi
animo gratissimum eventum. Ingressus plateam prima- 28.
riam laetus elatusque auriga, festinanter eam transiit,
quoquoversus circumspiciens. Ibi audiebat universam 29.
multitudinem quasi gratantem, colloquia ad Râmam eius-
que consecrationem spectantia serentem. Conspexit deinde 30.
Râmae domum pulcram, Cailasi montis vel Indrae aedium
instar splendidam, ingentibus portarum valvis munitam, 31.
amplis porticibus instructam, deaurato fastigio insignem,
gemmis coraliisque laqueatam; nubium auctumnalium si- 32.
milem, lucidam ceu montis Merûs antrum, redimiculis
sertorum floridorum dependentibus undique condecoratam;
margaritis gemmisque refertam, santalii et agallochi ligno 33.
suffitam, suaves odores spirantem, perinde ac montis
Darduri cacumen; ardeis pavonibusque raucum sonan- 34.
tibus superbientem, pantheris ad venatum mansuefactis
crebram, nec non delectis famulis frequentem; sensus 35.
oculosque hominum vivido fulgore ad se trahentem, lu-
nae solisque similem, Cuvêri aedes aemulantem; undique 36.
cinctam corona civium modesto habitu adstantium, nec

Digitized by Google

non agricolis, qui dona honorifica secum afferentes eo
37. convenerant. Vidit quoque elephantum, Râmam vehere solitum, margaritis ornatum, santalio rubro circa tempora distinctum, Airavato aequiparabilem.

38. Auriga ille, conscenso curru equis iuncto, collustrans viam regiam hominibus densam, exhilarans per totam urbem animos civium quadriiugo ad Râmae do-
39. mum tendente, ipse summo gaudio efferebatur, invectus amplam opulentamque, feris ac pavonibus per atria fre-
40. quentem, ceu magnifici Sachidis mariti aedes. Inde transvectus Cailâsi montis similes aulas, ornatu insignes, Coelitum sedes specie referentes, dimotis multis familiaribus Râmae gratis probatisque, iuxta penetralia constitit
41. auriga. Vidit ibi ostii aditum stipatum iuventa florentibus aurigis praeconibusque e terra Magadhensi oriundis, nec non symphoniacis modorum dulcedine somnum mulcentibus, qui nati regii virtutes canoris laudibus cele-
42. brabant. Tum vero penetrale, rupis percelsae vel montis nubiferi simile, magnis deorum tensis comparandum, multitudine circumfusum, a nemine prohibitus intravit auriga, veluti pristis mergitur oceano gemmis referto.

CAPUT XVI.

RAMAS EVOCATUS.

1. Harum aedium regalium portam a multitudine obsessam transgressus auriga, veteris memoriae gnarus,
2. accessit deinde ad aulam interiorem, ubi excubabant

Digitized by Google

iuvenes, tum sagittas arcusque, tum inaures politas ge-
stantes, vigiles, in officium suum unice intenti, principi
deditissimi. Ibi vidit senes decoros, veste coccinea et 3.
bacillo arundineo insignes, feminarum custodes, portae
ab utroque latere composite assidentes; qui conspicati 4.
appropinquantem, Râmae gratum facere cupientes, subito
excitati sedilibus suis desiluere. Hisce mandat vir mo- 5.
destus ex aurigarum stirpe prognatus, dexter in munere
suo: Cito nuntiate Râmae, Sumantram foribus adstare.
Hi domino suo gratum facere cupientes, intro euntes ad 6.
Râmam cum coniuge consociatum, sine mora nuntium
ei attulere. Cognito, aurigam ibi praesentem esse ex 7.
mandato patris, Raghuides intro ad se duci iussit bene-
volentia motus. Hunc Cuveri similem regali ornatu vi- 8.
dit auriga sedentem in toro aureo tapetibus constrato,
heroëm unctum santalii optimi pulvere subtilissimo, odo- 9.
rato, sanguinis aprugni colorem referente. Ministrabat 10.
ei sedulo Sîta, lateri adstans, flabellum manu tenens,
sicuti stella CHITRA [1]) Lunum subsequitur. Hunc pro- 11.
prio vigore fulgentem veluti solem, munerum largitorem,
modeste consalutavit praeco modestiae gnarus. Conspi- 12.
catus formosum regis natum in lectulo commode seden-
tem Sumantras, probatus domino minister, iunctis mani-
bus talia fatur: O felicem prole sua Causaliam! Pater 13.
tuus, Râma, cum Regina Caeceïde consociatus visere te
cupit; eo pergas sine mora. Ita compellatus heros 14.
splendidissimus, laetus, Sîtam comiter admonuit hisce
verbis: Domina! dominus ac domina, congressi in mei 15.
gratiam, certe deliberant aliquid, quod ad consecratio-

1) *Chitra* est stella in spica Virginis, unde mensis *Chaitra* dictus.

Digitized by Google

16. nem spectat. Illa nigris oculis decora, gratificari regi studens, dextera, proposito animadverso adhortatur eum ad
17. mea commoda. Feliciter sane factum, quod magnus rex coniunctim cum cara coniuge Sumantram misit, legatum,
18. quid mea intersit, curantem. Qualis illic est aula, talis legatus nos convenit; certe rex hodie ad imperii
19. consortium me consecrabit. Eia! cito hinc profectus invisam terrae dominum, tu vero cum comitatu tuo com-
20. mode requiesce aut lude. — Sîta nigris oculis decora, ita commonefacta, coniugem usque ad fores subsecuta
21. est, verba bene auspicata nuncupans: Maiestatem a viris bis natis reverenter cultam, consecrationem aeque sanctam ac sacrificium regale, conferre in te debet rex,
22. sicuti mundi creator in Vâsavum. Equidem te veneror, cernens praeviis caeremoniis ieiunioque lustratum, pura nebride amictum, dorcadis cornu manu gestantem. Cu-
23. stodiat tibi plagam orientalem Deus Fulminator, australem Yamus, Varunus cardinem occidentalem, divitiarum
24. dominus denique septentrionalem. Tum dimissa comiter Sîta, faustis ominibus acceptis exiit cum Samantra simul
25. Râmas ex aedibus, ceu leo saxosam speluncam insidens a monte descendit. Vidit portae adstantem Laxmanum
26. venerabundi habitu, deinde in aula media accessit ad sodalium cohortem. Hisce omnibus ministris suis visis
27. et comiter salutatis, protinus conscendit heros currum excelsum, quasi flammantem, tigridis exuviis constratum,
28. argenteum, fragorem nubis gravidae edentem, spatiosum, gemmis auroque ornatum, solis instar fulgore suo homi-
29. num oculos ad se rapientem; iunctum equis generosis elephantorum pullos aequantibus; ceu deus mille oculis praeditus, Indras, vehitur curru velocissimo equis coe-
30. lestibus iuncto. Faustus ille, veluti Imber in aethere

Digitized by Google

gravi strepitu insonans, evectus est e domo tanquam lu-
nae orbis ex ingenti nube. Laxmanus autem, Raghuidae 31.
frater natu minor, floridum flabellum manu tenens, curru
ascenso a tergo cum custodiebat. Tunc, eo egrediente, 32.
undique a multitudine confusus clamor aures obtundens
tollebatur. Deinde sonipedes egregii, elephantique mon- 33.
tium instar excelsi, centeni quin milleni numero Râmam
sunt subsecuti. In fronte incedebant bellatores armati, 34.
santalio et agallocho uncti, acinacem arcumque gestan-
tes, viri spe alacres. Simul per totam plateam audie- 35.
bantur organorum musicorum concentus, praeconumque
laudes canorae, et bellici militum clamores. Undique 36.
florum imbre conspergebatur a feminis ex patulis do-
muum fenestris prospectantibus hostium domitor. Mu- 37.
lieres forma incomparabiles, tum ante fores, tum in do-
mibus alte exstructis stantes, caritatis affectu erga Râ-
mam motae, vocibus gratissimis eum salutavere. »Sane, 38.
»o matris tuae deliciae! nunc Causalia gaudio exsultat,
»conspiciens te regali curru invectum ad imperium pa-
»ternum capessendum.« — Sîtam vero inter omnes puel- 39.
las comam dividuam comptas praestantissimam arbitra-
bantur mulieres istae, utpote Râmae ex intimo corde
dilectam. — »Quis dubitet, hanc dominam nostram olim 40.
»magna sanctimonia rite perfunctam esse, quandoquidem,
»sicuti RÔHINIA 2) cum Luno, ita cum Râma coniugium
»est adepta?« — Tales voces blandas a muliebri turba

2) *Rôhinî* est quarta inter domos lunares, quas quidem omnes Indorum mythologia Luni uxores fingit. Haec autem dilectissima praedicatur, fortasse propter eximium splendorem unius e stellis hoc sidere comprehensis, quam nostri Tauri oculum dicunt.

Digitized by Google

ex fastigiis domuum pronuntiatas audiebat hominum princeps per viam regiam ingrediens.

CAPUT XVII.

RAMAE ACCESSUS.

1. At faustus Râmas ascenso curru, laetitia cumulans
sociorum cohortem, conspexit urbem diversis hominum
2. ordinibus oppletam. Processit deinde per mediam pla-
team, agallocho suffitam, domibus albis nubium instar in
3. aethere suspensarum illustratam. Vidit hunc regalem
tramitem cinctum variis floribus dapibusque omnis ge-
neris, ab utroque latere appositis, sicuti in coelo Coeli-
4. tum tramitem. Procedebat autem audiens pia vota a
multis clara voce nuncupata, civesque etiam pro cuius-
5. que dignitate salutans. Sospita nos, *acclamabant ei*,
ipse consecratus, succedens hodie in eandem viam, qua
6. avi tui atavique perrexerunt. Quemadmodum pater hu-
ius cunctique maiores amantissime nos foverunt, pariter,
7. ac iucundius etiam, sub Râma rege habitabimus. Sat
hodie epularum, satque nobis est lautitiarum, liceat modo
8. videre prodeuntem Ramam, in imperio stabilitum! Tales
aliosque amicorum sermones bene auspicatos, sibi hono-
rificos, placide auscultans Râmas transibat per amplam
9. plateam. Nemo a iuvene praestanstissimo poterat men-
tem oculosque abstrahere, ne tum quidem, cum iam
10. praeterierat; et quicunque Râmam non viderat, aut ab
illo non fuerat visus, is ab omnibus reprehendebatur,
11. ac sibimet ipse displicebat. Etenim iustus ille cunctis

Digitized by Google

hominum ordinibus benignitatem maxime praestabat inter quatuor fratres aequales; quapropter ei erant deditissimi. Progrediebatur regis filius, quadrivia, deorum 12.
tramites, arbores sacras atque altaria reverenter a dextra praetervectus. Postquam ad aedes regales accesse- 13.
rat magni Indrae sedibus comparandas regis natus, intravit patris habitationem sorte fortunata fulgens. Tres 14.
aulas a sagittariis custoditas equis pervectus, pedes transiit binas reliquas iuvenis praestantissimus. Cunctas au- 15.
las permensus denique Dasarathae filius, omni comitatu dimisso, ipse in gynaeceum introivit. Tum principe 16.
ad praesentiam regis profecto, populus universus gaudio elatus eius inde reditum exspectabat, sicuti fluminum dominus *Oceanus* lunae ortum.

CAPUT XVIII.

MIGRATIO IN SILVAM IMPERATA.

At ibi vidit Râmas patrem solum cum Caeceïde, 1.
moestitia oppressum in sedili, ore tabescente miserandum. Primum patris pedibus humiliter adoratis, deinde 2.
Caeceïdis quoque pedes debito studio salutavit. Rex 3.
autem miser, oculos lacrimis suffusus, nulla alia voce praeter Râmae nomen emissa, neque intueri eum, nec alloqui potis erat. Visa tali regis specie antea insueta, 4.
terrifica, ipse quoque Râmas in terrorem incidit, quasi pede serpentem tetigisset. *Videbat enim* imperii recto- 5.
rem sensibus depressis, moeroris cruciatu debilitatum,

Digitized by Google

6. gementem, cogitationum impetu turbatum, veluti undis
cinctum Oceanum, funditus inconcussum, aestuantem;
ceu Solem defectu laborantem; ceu Sapientem, qui falsi
7. quid imprudens dixisset. Animadvertens igitur inexpli-
cabilem hunc patris moerorem, aliquanto commotior
8. fuit, sicuti Oceanus per interlunia. De genitoris inco-
lumitate sollicitus Râmas sollers haec secum volutabat:
9. Cur tandem rex hodie me non benigne excipit? Alias
pater, quantumvis iratus, me viso placari solet; cur ho-
10. die per meum aspectum molestia ei creatur? — Hinc
ille quasi consternatus, moerore anxius, exstincto oris ni-
tore, ad Caeceïdem reverenter conversus, talia profatur:
11. Num forte a me imprudente quicquam peccatum est,
quapropter pater mihi succenseat? Id mihi declara;
12. quin tute potius eum placare velis. Cur implacido animo
est, semper erga me affectus teneri plenus? Vultum
13. defectus, tristis, ne verbo quidem me affatur. Num do-
lor aliquis angorve corpore aut animo conceptus cru-
ciat eum? Sane vix ulli contingit perpetua voluptas.
14. Num forte Bharatae, adolescenti amabili, vel Satrughno,
15. vel matribus denique adversi quid accidit? Displicens
magno regi, aut iussa patris detrectans, ne horam qui-
16. dem vivere velim sub irato domino. Unde quivis homo
intelligit aevum suum vitale in hoc orbe germinasse,
quomodo quisquam cum eo aliter versari possit quam
17. cum numine praesenti? Num forte a te, fastu impellente,
probrum aliquod in patrem meum iactum est, qua of-
18. fensione mens eius fuerit perculsa? Id mihi percunctanti,
domina, ex vero declara: qua de caussa insolita haec
19. mutatio in rectore imperii cernatur? — Sic admonita
Caeceïs a Raghuide magnanimo, ut erat impudentissima,
20. protulit sermonem audacem, lucri avidum: Non succenset

Digitized by Google

tibi rex, Râma, nec ulla perturbatio eum afficit. Attamen habet aliquid in animo; sed te metuens non loquitur. Ad nuntiandum tibi dilecto rem ingratam vox ei 21.
non suppetit: quare necessario te facere oportet, quod ex eo ipsa audivi. Hunc virum muneris olim oblati honorisque mihi habiti nunc rursum poenitet, quanquam 22.
sit rex, quasi foret homo quilibet ex infima plebe. Ait 23.
nimirum civium rector, munus nimis large concessum a se posci: at frustra aquis iam dilapsis pontem iungere conatur. Fidem, officii fontem, qualem boni omnes 24.
agnoscunt, hanc eandem non deserere debet rex, vel iratus, ne in tui gratiam quidem. Quod si rex istud 25.
edixerit, seu faustum sit sive infaustum, tunc tu id omne perficies; ego vero deinde referam. Quum scivero, regis 26.
decretum apud te non in irritum esse casurum, tunç ego exponam; ipse enim te coram non dicet. Talem ser- 27.
monem a Caeceïde pronunciatum quamprimum audierat Râmas, turbatus reginam in regis praesentia hisce affatur: Proh malum! Non te decet, domina, tali ser- 28.
mone me compellare. Equidem certe iuxta regis dictum vel in ignem me coniicerem; deglutirem acerrimum ve- 29.
nenum, pelagove mergerer, si iussus forem a venerabili magistro eodemque patre, ac praesertim a rege. Quare 30.
eloquere, domina, quodnam optatum ille in animo habeat. Polliceor me id perfecturum esse: Râmas non bis idem affirmare solet. Contra hunc recti studiosum, ve- 31.
ridicum, improba Caeceïs effatum atrocissimum protulit: Olim in bello Deorum Titanumque, Raghuide, pater 32.
tuus, dum pro diis pugnat, telis confossus, mea ope periculo ereptus, mihi bina munera concessit; quorum no- 33.
mine nunc a me poscitur rex Bharatae consecrationem, tuamque, Raghuide, profectionem sine mora in silvam

Digitized by Google

34. Dandacam. Quod si tu reddere cupis patrem solvendae fidei parem, et ipse, hominum princeps, promissum modo datum implere, ausculta hocce dictum meum.
35. Persta in iussis patris peragendis, sicuti ille pollicitus est. Te silvam adire oportet ac peragrare per novem
36. annos quinque additis; Bharatas vero consecrator omni isto solenni apparatu, quem in tui gratiam, Raghuide,
37. rex ordinaverat. Tu, derelicta hac consecratione, annos bis septem Dandacorum deserta incolens, assume habitum ascetarum, comam plexam et conglutinatam, vestem-
38. que e libro contextam. Bharatas regat hanc terram regis Cosalorum, multis rebus pretiosis abundantem, equis,
39. curribus elephantisque instructam. Talis casus miseratione oppressus rex, qui nobis adest, vultum moerore
40. deiectus, te intueri nequit. Tu vero, Raghuidarum proles, dictum regis perfice, et fide firmissima ex angustiis eum extrica.
41. Dum tali modo illa acerbe loquebatur, Râmas neutiquam tamen moestitiae se tradidit; at rex maiestate pollens vehementer commovebatur, infelici sorte filii sui vexatus.

CAPUT XIX.

FIDES DATA DE MIGRATIONE IN SILVAM.

1. Audita hac oratione ingrata, quasi mortis nuntia, hostium debellator plane non turbatus Cacceïdem hisce
2. invicem affatur: Ita fiat! Migrabo hinc ad habitandum in

Digitized by Google

silvis, comam plexam et vestem e libro contextam ge-
rens, ut fidem a rege oppigneratam exsolvam. Id unum 3.
edoceri cupio, quamobrem rex, hostium domitor, hodie
accessu difficilis, me non benigne excipiat sicuti olim.
Non te succensere oportet, domina: aperte loquor te 4.
coram. Ibo, gaudeas licet! in silvas, ascetae habitu as-
sumpto. Iussus a caro magistro, a patre, a rege deni- 5.
que benefactorum memori, quid est, quod ego confi-
dens non fecerim, ut illi placeam? Haec unica menti 6.
insidens aegritudo cor meum quasi adurit, quod rex ipse
mihi non declaravit Bharatae consecrationem. Ego sane 7.
Bharatae fratri Sîtam, imperium, caram vitam, opesque
laetus sponte offerrem, vel nullo hortatu urgente; quanto 8.
magis iussus a populorum domino eodemque patre, nec
non ut tibi gratum facerem, promissorum fidem exsol-
vens. Tali modo tu pudibundi animum erige. Sed quid 9.
hoc est, quod princeps, lumina in terrae solo figens,
sensim lacrimas fundit? Eunto sine mora nuntii velo- 10.
cissimis equis vecti, ad Bharatam regis iussu ex avi ma-
terni sede adducendum. En! ego non amplius scruta- 11.
bor patris dictum, sed hinc festinus proficiscar in Dan-
dacorum deserta, ut quatuordecim annos ibi habitem.
Caeceïs vero laeta, audito eius sermone profectioni fidem 12.
habens, Raghuidem ad festinandum impulit: Ita fiat! 13.
Ibunt nuntii, velocissimis equis vecti, qui Bharatam mo-
neant, ex avi materni sede domum esse revertendum.
Tibi autem sollicito dilationem non fore tolerabilem ar- 14.
bitror, o Râma; quapropter te propere hinc in silvam
abire oportet. Et quod rex, pudori obnoxius, ipse te 15.
non alloquitur, id nihil est, iuvenis praestantissime: haec
offensio dimittatur. Quamdiu tu ex hac urbe summa 16.
cum festinatione non fueris profectus, tamdiu pater tuus,

Digitized by Google

17. o Râma, nec lavabitur, nec cibum capiet. — »Heu malum!« hac voce cum gemitu prolata rex, moeroris fluctibus mersus, animum deficiens, in torum istum auro
18. pictum recidit. Râmas protinus regem sublevavit; incitatus a Caeceïde, veluti equus flagello caesus, ipse in
19. silvam proficisci properabat. Audita inhonestae mulieris oratione ingrata, atrocis facinoris nuntia, Râmas, commo-
20. tionis expers, Caeceïdi talia reponit: Equidem, domina, non sustineo tanquam homo lucri avidus inter homines versari; scias, me Sapientum aemulum esse, unice officio
21. intentum. Quodcunque hac in re patri venerando gratum a me praestari potest, vel vita abiecta, id iam per-
22. actum puta. Nulla est officii observatio maioris momenti quam haec, ut dicto audiens filius sit patri, eiusque
23. iussa exsequatur. Etiamsi a rege non sim admonitus, iuxta tuum, domina, dictum habitabo in silvis desertis
24. per annos quatuordecim continuos. Profecto, Caeceï, ne minimum quidem virtutis mihi inesse tu speras, siquidem ad regem te applicuisti, quum plurimum apud me
25. polleas. Quamprimum matri valedixero, Sîtamque consolatus fuero, confestim hodie pergam in vasta Danda-
26. corum deserta. Ut Bharatas imperium tueatur patrique obediat, id a te erit curandum: haec enim est lex sem-
27. piterna. — At rex, audito filii sermone, vehementer dolore affectus dum prae aegritudine loqui nequibat, in clarum
28. eiulatum erupit. Tum Râmas nobilissimus, veneratus pedes patris amentis Caeceïdisque, tali honore indignae,
29. foras se proiecit. Patre ac Caeceïde prius versus dextram circumambulatis, egressus ex gynaeceo isto conspe-
30. xit amicorum suorum cohortem. Subsequebatur eum a tergo Laxmanus, alias Sumitrae genitricis deliciae, nunc
31. oculos lacrimis suffusus, vehementer iratus. Supellectilem

Digitized by Google

consecrationi destinatam circumambulans Râmas sensim
processit, quasi suspensus, nec visum inde dimovit. Non 32.
eripuerat ei imperii iactura summam venustatem, utpote
quem amabilem genus humanum adamabat, sicuti nec
frigidi sideris decrescendo gratia perit. Dum iam sil- 33.
vam petere cupit, terramque post se relinquit, nulla in
eo perspicitur mentis turbatio, quasi foret cunctis rebus
humanis superior. Recusat candidum umbraculum ipsi 34.
oblatum ac bina flabella splendide ornata; dimittit comi-
tatum suum, currum, nec non multitudinem urbanam.
Dolorem constanti animo intus celans, coërcitisque sensi- 35.
bus, adiit deinde placidus matris domum, ingratum nun-
tium ei allaturus. Tota quoque familia splendida iuvenis 36.
nobilissimi et veridici ne minimum quidem casus indi-
cium in eius vultu animadvertebat. Heros validis lacer- 37.
tis praeditus non amiserat solitam serenitatem, sicuti nec
luna quoquoversus radios spargens auctumno vergente
amittit splendorem ex se genitum. Voce suavi congre- 38.
gatam multitudinem salutans Râmas pius, inclytus, ad ma-
tris praesentiam accessit. Hunc subsecutus est Sumitri- 39.
dis strenuissimus, virtutibus ad similitudinem fratris eni-
sus, dolorem ex animo natum intus comprimens.

Intratis aedibus, summa adhuc laetitia elatis, pro- 40.
spiciens sortis felicis eversionem ingruentem, nihilo ma-
gis tamen Râmas perturbationi se tradidit, metuens ne
amicos de casu suo sollicitos redderet.

Digitized by Google

CAPUT XX.

CAUSALIAE LAMENTATIO.

1. Egrediente vero in publicum iunctis manibus prin-
cipe praestantissimo, ingens eiulatus feminarum ex gy-
2. naeceo protinus ortus est. »Qui, ne admonitus quidem
a patre de rebus agendis, sua sponte munera obibat; qui
columen nobis fuerat ac praesidium: ille idem Râmas iam
3. in exsilium perget. Qualis officiosus erga genitricem
Causaliam se gerere solet, pariter inter nos versatus est
4. a natalibus inde Raghuides. Non irascitur vel maledi-
ctis oneratus, dum ipse vitat, quicquid iram movere pos-
sit, et quoslibet iratos placare studet: ille idem hodie
5. hinc in exsilium perget. Insipiens, eheu! rex noster in
rebus humanis versatur, utpote qui deserat Raghuidem,
6. omnium animantium praesidium.« — Hunc in modum
pellices regiae, ceu iuvencae vitulis orbae, dominum pro-
7. bris insectari, altaque voce eiulare. At rex moerore
propter filium vexatus, audita ex gynaeceo miserabili
8. comploratione, in toro sedens contabuit. Râmas vero
vehementer concussus, ingemens veluti elephas, sibi ta-
men imperans, simul cum fratre adiit matris regiam.
9. Ibi vidit virum grandaevum in summo honoris gradu se-
dentem iuxta domus portam, aliosque multos ei adstantes.
10. Quamprimum conspexerant Râmam, cuncti eum circum-
stetere, atque hanc vocem: VINCE! Raghuidae, victori
11. fortissimo, acclamavere. Postquam transierat ille primam
aulam, vidit in secunda Brachmanas in libris sacris ver-
12. satos, grandaevos, a rege honorifice habitos. Hosce se-
nes veneratus, vidit in aula tertia feminas, tum puellas
13. tum anus, in custodiam portae intentas. Hae laetae,

Digitized by Google

gratantes, in domum introeuntes, festinanter Ramae matri gratum nuntium attulere. Interea Causalia domina, 14.
postquam noctem intenta pervigilaverat, filii felicitatem cupiens, orto diluculo, Vishnûs adorationem curabat.
Vestem lineam induta illa, laeta, semper votorum per- 15.
solvendorum studiosa, igni sacra rite offerebat, verba bene auspicata simul nuncupans. Intrato splendido ma- 16.
tris gynaeceo Râmas vidit ibi genitricem igni sacrifico operatam. Rei divinae faciundae gratia vidit ibi parata, 17.
lactis coagulum, adoreum, laticem pinguem, nec non bellaria oblationi apta; vidit quoque Raghuides tosta ory- 18.
zae grana, corollas candidas, sesama in lacte decocta, ligna arida ad flammam alendam, urocosque plenos.
Illam veste linea candida cinctam, ieiuniis servatis pal- 19.
lidam, vidit propitiantem aqua libata Divam pulcerrimam *Laxmidem*. Ipsa ex se natum, matris delicias, post lon- 20.
gum tempus advenientem conspicata, laeta obviam ei occurrit, veluti equa pullo suo. Raghuides, dum matrem 21.
accurrentem sustentat, ab ea ambobus lacertis amplexu fovebatur et oscula in fronte accipiebat. Tum Causalia 22.
heroëm invictum, natum suum, affatur verbis benignissimis, caritatis maternae testibus: »Veterum regum sapien- 23.
tum, piorum, magnanimorum, adipiscaris aevum gloriamque, ac pietatem quoque colas dignam stirpe tua! Ecce, 24.
Raghuide, regem patrem tuum egregie stantem promissis! Hodie iam iustus ille ad consortium imperii te consecrabit.« — Occupato sedili ipsi oblato invitatus ad 25.
cibum capiendum, Raghuides pudore aliquantum commotus manibus protensis matrem affatur: Ergo tu, do- 26.
mina, nondum nosti ingens periculum ingruens, quod idem tibique dolorem affert, Videhanaeque puellae, Laxmanoque. Abibo ad Dandacorum deserta; quid mihi 27.

Digitized by Google

cum sedili isto? Scilicet toris sedilibusque idoneum est
28. hocce tempus, quod me urget. Equidem quatuordecim
annos habitabo in silva solitaria melle, radicibus pomis-
que vitam sustentans, abstinens anachoretarum more a
29. carne vescenda. Bharatae rex potentissimus imperii con-
sortium largitur; me vero ad Dandacorum deserta exsu-
30. latum mittit, tanquam ascetam. At regina ceu Sâlae ar-
boris [1]) truncus in silva bipenni excisus subito collapsa
31. est, ceu Diva e coelo deiecta. Râmas vero hanc, tanta
calamitate indignam, eversam cernens sicuti ficum flexi-
lem [2]), a solo erexit matrem animi haud compotem.
32. Deinde sublevat resurgentem, miseram, ceu equam sar-
cinis oppressam, pulvere per totum corpus conspersam,
33. manuque leniter demulcet. Illa, malo afflicta, bono digna,
Raghuidem sibi assidentem, iuvenem fortissimum, hisce
34. affatur, Laxmano simul audiente: Nisi tu, mi fili, natus
fores ad meum moerorem, sane, ego prole orba, nullum
35. malum hocce gravius perciperem. Solus omnino hic
moeror mulieris sterilis menti insidet: »Prole sum orba!«
36. Nulla aegritudo praeter hanc eam tangit. Quicquid
fortunati iucundive ex mariti virtute unquam experta
fuissem, id ex filio quoque mihi eventurum non spera-
37. rem; sic mihi persuasum est. Nunc illa ego multa
dicta amara audiam rivalium cor mihi lacerantium, me
38. inferiorum, quum sim uxor primaria. Quid, quaeso,
calamitosius ulli feminae accidere possit, quam qualis
39. nunc erit moestitia mea ac lamentatio fine carens? Te
etiamnum praesente tam spreta ego fui: quid tandem

---

1) Est arbor proceritate insignis, *Shorea robusta.*

2) Sic describi posse putavi *Musam Sapientum;* Anglice: *plantain - tree,* Gallice: *bananier.*

Digitized by Google

fiet te exsule, care puer? Mors me certissima manet.
Marito nunquam accepta ultra modum contemnor a Cac- 40.
ceïdis comitatu, par ei nobilitate, sive superior etiam.
Quicunque me colunt aut prosequuntur tantummodo, hi 41.
homines non amplius me alloquentur. Quum ista sem- 42.
per ad iracundiam sit prona, quomodo tandem ego in-
felix, mi fili, aspicere potero os Caeceïdis asperis voci-
bus dissonum? Septendecim annos 3) ex quo te gene- 43.
ravi, Raghuide, sedi anxie exspectans malorum terminum.
Hunc infinitum gravissimum dolorem non potis sum diu 44.
tolerare, contemptum rivalium, ultro iam senio confecta.
Privata aspectu oris tui, plenae lunae splendorem refe- 45.
ferentis, misera quomodo sustinebo miserorum vitam de-
gere? Tu a me infelici ieiuniis supplicationibusque mul- 46.
tisque laboribus aegre educatus es, quae nunc omnia in
irritum cadunt. Firmum est, puto, cor hocce meum, 47.
siquidem non dirumpitur, sicuti pluviali anni tempore
magni fluminis ripa tacta novis undis.

Sane letum non mihi destinatum est, neque hospi- 48.
tium paratur in regis inferorum domo, siquidem mors
non illico me abstrahit, ceu leo dorcadem eiulantem.
Sane firmum est cor meum ac ferreum, quod non fran- 49.
gitur, nec diruptum tanto dolore corpus in terram prae-
ceps datur. Ergo certum est, letum citra horam fatalem
nemini contingere. Sed hoc me angit, quod in irritum 50.
cecidere vota mea, piaeque largitiones, ac ieiunia, casti-
moniaeque, quaecunque suscepi prolis desiderio; plane
ut semen, solo sterili iniectum, manet infructuosum. Quod

3) Aut annorum numero comprehendit Causalia tempus, ex quo utero conceperat; aut paulo latius loquitur, utpote vehementer commota.

Digitized by Google

51. si quisquam gravi dolore vexatus citra horam fatalem leto sponte occumberet, iam nunc profecta forem ad Manium coetum, quum sine te sim tanquam vacca vitulo suo orba.

Digitized by Google

TABULA CAPITUM,

QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER I.

			Pag.
Prooemia		in laudem poetae	3
Caput	I.	Argumentum carminis	5
»	II.	Brachmanis adventus	15
»	III.	Argumeuti compendium	19
»	IV.	Rhapsodorum institutio	22
»	V.	Urbis Ayodhyae descriptio	26
»	VI.	Regis praeconium	28
»	VII.	Laudes ministrorum regis	31
»	VIII.	Sumantrae sermo	34
»	IX.	Episodium de Rishyasringa	37
»	X.	Rishyasringae arcessitus	42
»	XI.	Consilium de sacris faciundis	45
»	XII.	Sacrificium inchoatum	47
»	XIII.	Sacrificii equini consummatio	51
»	XIV.	Ratio necandi Ravanae excogitata	58
»	XV.	Nectaris apparatus	63
»	XVI.	Simiorum procreatio	65
»	XVII.	Rishyasringae reditus	67
»	XVIII.	Rishyasringae discessus in silvam	71
»	XIX.	Dasarathidarum natales	73
»	XX.	Visvamitrae adventus	76

Digitized by Google

			Pag.
Caput	XXI.	Visvamitrae sermo	78
»	XXII.	Dasarathae sermo	80
»	XXIII.	Vasishthae sermo	82
»	XXIV.	Disciplinarum traditio	84
»	XXV.	Commoratio in Cupidinis eremo . . .	86
»	XXVI.	Accessus ad Tadacae silvam	88
»	XXVII.	Tadacae generatio	91
»	XXVIII.	Tadacae caedes	93
»	XXIX.	Telorum traditio	96
»	XXX.	Subsidiorum traditio	98
»	XXXI.	Commoratio in eremo Consummato . .	100
»	XXXII.	Visvamitrae sacrificium	103
»	XXXIII.	Commoratio in ripa Soni	105
»	XXXIV.	Brachmadattis nuptiae	107
»	XXXV.	Stirpis Visvamitrae praeconium . . .	111
»	XXXVI.	Nymphae Gangae origo	113
»	XXXVII.	Umae magnanimitas	115
»	XXXVIII.	Carticeii generatio	118
»	XXXIX.	Sagaridarum procreatio	121
»	XL.	Terra effossa	123
»	XLI.	Capili conspectus	126
»	XLII.	Procuratio sacrificii a Sagaro suscepti .	130
»	XLIII.	Munus Bhagirathi concessum	132
»	XLIV.	Nymphae Gangae descensus	134
»	XLV.	Ambrosiae origo	140
»	XLVI.	Foetus Ditidis diffissus	147
»	XLVII.	Congressus cum Sumate	149
»	XLVIII.	Exsecratio Indrae et Ahalyae	151
»	XLIX.	Ahalyae liberatio a diris	154
»	L.	Congressus cum Janaco	156
»	LI.	Episodium de Visvamitra Capp. 15.	
		1) Satanandi sermo	160
»	LII.	2) Visvamitras ad epulas invitatus . .	163
»	LIII.	3) Colloquium Vasisthae cum Visvamitra	165
»	LIV.	4) Pugna Visvamitrae cum Sacis corumque sociis	167

Digitized by Google

Pag.
Caput LV. 5) Vasisthae cremus incendio conflagratus 170
» LVI. 6) Visvamitrae propositum 173
» LVII. 7) Trisancûs sermo 175
» LVIII. 8) Trisancûs exsecratio 177
» LIX. 9) Vasishthidarum exsecratio 179
» LX. 10) Trisancus in coelum sublatus . . . 181
» LXI. 11) Sunassephi mancipatio 184
» LXII. 12) Amharishi sacrificium 187
» LXIII. 13) Menacae habitatio terrestris 190
» LXIV. 14) Rambhae exsecratio 193
» LXV. 15) Visvamitras in Brachmanum ordinem receptus 194
» LXVI. Janaci sermo 198
» LXVII. Arcus diffractus 200
» LXVIII. Legatorum Janaci oratio 202
» LXIX. Colloquium Janaci cum Dasaratha . . . 204
» LXX. Puellarum petitio 206
» LXXI. Janaci prosapiae declaratio 211
» LXXII. Vaccarum donatio 214
» LXXIII. Dasarathae filiorum nuptiae 216
» LXXIV. Congressus cum Jamadagneio 219
» LXXV. Jamadagneii sermo 221
» LXXVI. Jamadagneius Superum sedibus exclusus . 223
» LXXVII. Bharatae dimissio 226

LIBER II.

Caput I. Decretum de Rama inaugurando 231
» II. Civium sermo 234
» III. Dasarathae praecepta 237
» IV. Ramas ad imperium suscipiendum denuo sollicitatus 242
» V. Ramae ieiunium ordinatum 248
» VI. Festivus urbis ornatus 251
» VII. Mantharae lamentatio 253
» VIII. Mantharae sermo 257

Digitized by Google

Pag.
Caput IX. Consilium Ramae in exilium pellendi . . . 261
» X. Dasarathae sermo 267
» XI. Beneficiorum promissorum petitio . . . 271
» XII. Dasarathae lamentatio 273
» XIII. Dararathas animo perturbatus 282
» XIV. Ramae arcessitus 284
» XV. Solennium inaugurationis apparatus . . . 289
» XVI. Ramas evocatus 292
» XVII. Ramae accessus 296
» XVIII. Migratio in silvam imperata 297
» XIX. Fides data de migratione in silvam . . . 300
» XX. Causaliae lamentatio 304

Digitized by Google

ADDENDA CORRIGENDIS

in Voluminis primi Parte priore.

IN PRAEFATIONE.

Pag.	XXIV.	Lin.	12.	siculi *lege*	sicuti
—	XXVIII.	—	4.	et —	at
—	XXIX.	—	20 et 21.	Hae duae lineae sunt transponendae.	
—	XXXI.	—	1.	plus quinquaginta *lege*	plus centum et quinquaginta
—	LXIX.	—	25.	alborum —	laborum

IN TEXTU.

Ne nimis multa transcribenda essent, non ubique integra vocabula apposui, sed integra modo compositorum membra; restitui quoque spiritum, quotiens is vi litterae sequentis mutationem passus erat.

Pag.	9.	Lin.	18.	दिव्यवपूः	*lege*	दिव्यवपुः
—	11.	—	3.	अवमान्य	—	अनुमान्य
—	17.	—	17.	कोञ्चीं	—	क्रौञ्चीं
—	27.	—	4.	संमदि	—	संसदि
—	35.	—	3.	वचनाप्राकाः	—	वचनासाकाः
—	41.	—	7.	वसोभिः	—	वासोभिः
—	43.	—	16.	ता	—	ताः
—	54.	—	16.	भट्टानां	—	भटानां

Digitized by Google

Pag.	58.	Lin.	3.	अभिष्टुत्य	*lege*	अभिषुत्य
—	59.	—	1.	वसांसि	—	वासांसि
—	60.	—	8 et 11.	वसोभिः	—	वासोभिः
—	60.	—	13.	कुशलैःद्विजैः	—	कुशलैर्द्विजैः
—	66.	—	6.	हटक	—	हाटक
—	88.	—	17.	प्रणाष्टस्य	—	प्रनष्टस्य
—	93.	—	18.	कथं प्रमाणाः	—	कथंप्रमाणाः
—	103.	lin.	ult.	अरिष्टं	—	अरिष्टं
—	110.	—	7.	क्रौध	—	क्रोध
—	110.	—	8.	विनिःसितः	—	विनिःसृतः
—	118.	—	14.	कपडं	—	कापडं
—	118.	—	17.	निःसिताः	—	निःसृताः
—	124.	—	19.	प्रितेषु	—	प्रीतेषु
—	125.	—	1.			
—	127.	—	16.	ज्ञह्नवी	—	जाह्नवी
—	182.	—	17.	कामार्थः	—	कामार्त्तः
—	199.	—	5.	कक्ष	—	कक्षा
—	207.	—	8.	ज़ृम्भनं	—	ज़ृम्भणं
—	208.	—	6.	बह्म	—	ब्रह्म
—	258.	—	8.	धर्भ	—	धर्म
—	269.	—	4 a fine.	धनुर्भीमि	—	धनुर्भीमि
—	281.	—	3.	भात्रा	—	भ्रात्रा
—	281.	—	5.	तर्प्यमानौ	—	तर्प्यमाणौ
—	291.	—	2.	दधि	—	दधि च
—	297.	—	7.	त्वप	—	त्वयाप
—	314.	—	2.	प्रणाष्टः	—	प्रनष्टः
—	318.	—	5.	या	—	याः
—	351.	—	ult.	वेस्म	—	वेश्म
—	358.	—	7.	हलाहल	—	हलहला
—	366.	—	9.	नृपेण	—	नृपेनं

Digitized by Google

CORRIGENDA

in versione Latina et annotationibus.

Pag. 30. Not. lin. 3 a fine. Vanâjû *lege* Vanâyû
— 58. C. XIV, lin. 3. effatus — affatus
— 59. Not. lin. 6. divis — diris
— 65. lin. 6. iutrepidos — intrepidos
— 67. — 14. montibus fretisque — montibus silvis fretisque
— 128. — 4. e ecatique — enecatique
— 161. Not. lin. 11. cum iis quae Angli — cum iis conciliandam, quae Angli
— 221. lin. 2. voci — voce
— 247. — 10 et 11. mensus — menses

Digitized by Google

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA CAROLI GEORGII.

7456
3

Digitized by Google

This book is a preservation photocopy.
It was produced on Hammermill Laser Print natural white,
a 60 # book weight acid-free archival paper
which meets the requirements of
ANSI/NISO Z39.48-1992 (permanence of paper)

Preservation photocopying and binding
by
Acme Bookbinding
Charlestown, Massachusetts

1996

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3 2044 036 442 150

Digitized by Google

Digitized by Google